Suis annumerat
Libris
Frid: Olrichs
Ao 1711. Ultraj.

GEMMAE
ANTIQVAE
DEPICTAE
PER
LEONARDVM AVGVSTINVM
AD
SERENISSIMAM CELSITVDINEM
COSMI
PRINCIPIS ETRURIAE.
PARS SECVNDA.

Editio Secunda.

FRANEQUERAE,
Apud LEONARDUM STRIK,
Bibliopolam, cIↃ IↃCXCIV.

Sereniſſime Princeps.

REſonat Europâ nomen Sereniſſimæ Celſitudinis Tuæ ex omnibus partibus, in quibus veſtigia magnanimæ virtutis Tuæ impreſſa reliquiſti; ſimul & Florentia & Etruria ſolvunt ad reditum Tuum vota, ſalutantes Deum cum infinitis gratæ voluntatis indiciis, ac lætis acclamationibus plaudunt & jubilant agnoſcentes Te per incomparabilis Tuæ indolis ornamenta attuliſſe tecum, quicquid alibi aut æſtimantur maxime aut admirationem meretur. Ego autem, qui lætitiæ iſtius, qua fruuntur nunc ſubjecti Celſitudinis Tuæ, partem capio, præter hanc communem occaſionem ſentio ab ſingulari mea pietate commotum im-

pletumque immenſo gaudio; cujus non modo ea fuit felicitas, ut naſcerer in fortunatiſſimo Tuo imperio, ſed etiam ut ab primis annis ſummam Sereniſſimæ Domus Tuæ benignitatem & favorem experirer, ſicut nunc quoque in hac labente jam ætate videor revireſcere in gratia Sereniſſimi Magni Ducis Ferdinandi, & Eminentiſſimi ac Reverendiſſimi Principis Cardinalis Leopoldi, quorum alterum Patrem, alterum Patrum nominat Sereniſſima Celſitudo Tua. Quæ tanta in me eſt, ut devotiſſimus mei animi habitus non ſe capiens & continens prodeat & Tibi ſe humillime ſubmittat, offerando quaſi tributum has antiquas Gemmas typis expreſſas, res non quidem tam materia pretioſas, quam forma & artificio. Et quidem in hoc opportuno tempore facio, ut eas offeram Sereniſſimæ Celſitudini Tuæ, quo acquieſcens in Muſis, blandiſſimis deliciis Tuis & oblectamine leniſſimo inter alia nobi-

nobilia ſtudia recolliges vetuſta monumenta priſcarum gemmarum, conſuetudine & amore hæreditario, qui Tibi innatus eſt deſcendens ab heroico ſanguine Majorum Tuorum & Immortalis ac Glorioſiſſimæ Mediceæ Domus, præſidis tutelaris ſcientiarum ac bonarum artium, & cujus ope auxilioque in Italia & Europa omni inſtauratæ ſunt antiquæ doctrinæ. Unde eſt, ut hodieque ad exemplum Magni Patris Tui Patruique effulgeant in animo Tuo regiæ iſtæ virtutes, atque in hac juvenili ætate in Te celebretur tutela ac patrocinium virorem doctorum & liberalis eruditionis; teſtante id affatim amore & prolixitate, qua proſequeris libros, bibliothecas & Academias & comitatu tot inſignium & clarorum ingeniorum in reconditis & peregrinis literis. Propterea ſupplico Sereniſſimæ C. T. ut admittat accipiatque has antiquas memorias a me collectas ex antiquæ Ro-

mæ cineribus & ſepulcris temporis, refulgentes tamen ad radios Splendidiſſimi Tui Nominis; utique cum illis placeat Tibi hæc mea devotio, quæ omnes partes vireſque meas huc vocat, ut obſequar Tibi. Et nunc igitur cum ea humillime me coram Sereniſſima C. T. projicio, precorque ubertatem pleniſſimam omnis felicitatis, dedicans Tibi & operam hanc & me ipſum Romæ die XVI Novembris cIↃ IↃC LXIX.

Sereniſſimæ Celſitudinis Tuæ

Humillimus ac Devotiſſimus

ſervus ac ſubjectus

LEONARDUS AUGUSTINI.

AMICE

AMICE LECTOR.

Ita comparatum eſt a natura, ut præſtantes animi incendantur ab deſideria earum rerum, quæ æſtimantur & in fama ac pretio ſunt propter aliquam dignitatem & ſingularem virtutem, unde amor & æſtimatio eximiarum rerum ſolet oriri. Nec tantum cum ſummo labore eas inquirunt & habent acceptiſſimas, ſed ſi propter aliquem infelicem caſum videant eas deficere & ſentire injurias temporis, omni cura & ſollicitudine ſe fatigant ad eas fovendas & reſtituendas in ſtatum priſtinum. Ad quod acceſſit laudabilis conſuetudo, ut judicantes ipſi eas eſſe valde utiles ac jucundas, cum aliis illas communicent operâ literarum, & publico viſui exponant cum perpetuo quodam virtutis & ingenii commercio. Inde eſt, mi Lector, ut, quum dederim tibi Antiquas meas gemmas expreſſas in libro imaginum jam ante duodecim annos per me publicato, cujus & ſenſus & artificium ſimul ſatis valida ſunt ad amœnitatem & antiquitatis cognitionem cum approbatione meæ diligentiæ & affectus, revertar denuo ad offerendas tibi has alias, quas deinde collegi ex anguſtiis maximæ Romæ ruinis. Sed & eodem fine, quo tunc conſtituebam tibi placere per priores, nunc ſecundas tibi offero in hac altera parte; & tam in his, quam in illis ſatisfaciente tibi cura mea, qua eas collegi, laudabo excellentiam conceptus & boni antiqui moris in ectypis tam raris, quæ certe ſunt ideæ & indicia excellentiſſimorum ſculptorum Græcorum ſimul & Romanorum. Neque ego opinor conſpectum requirere efficaciam verborum ad augendum illarum pretium; quæ tunc tanto veniunt commodiores, quod in illud venerimus ſeculum, in quo pictura & ſculptura incipiunt deficere in conceptibus, & coguntur recurrere ad bona antiqua exempla, quorum oblivio inolevit. Quare porrigens tibi imagines harum gemmarum, nefas eſt, ut ſilentio negligam laudes D. Joannis Baptiſtæ Galeſtruzzii, pictoris Florentini, qui continuus fuit in illis traducendis ex primario & ipſa cælatura, quod jam dignatus erat facere in primo libro; ad quod efficiendum adhibuit omne ſtudium ac diligentiam, ut ex tenuitate vix conſpicienda referret in eam magnitudinem, quam vides, ſervatis congruis omnium ac decentibus

bus formis ac lineamentis. Cæterum fert hoc loco animus, ut satis faciam ingenuitati meæ rumpendis silentii pactis & publice enarrando officio ejus, qui tanto magis conatur abscondi illud, in eo quod debeo Joanni Petro Bellorio, qui altam harum Gemmarum formam depinxit eruditione sua, & gratuito beneficio annotationum suarum tam in prima quam in hac secunda parte me demerui. Neque est, quod hac confessione censeas quidquam me mihi demere; quoniam & in partem venio gloriæ amici, & impleo officium ad quod sentio me esse obligatum. Non habeo, mi Lector, quod in tuam gratiam possim subnectere illis quæ de scopo meo aperui tibi in prima parte: & si occurret singularis quædam observatio, explicabitur in notis, in quibus opera data est brevitati tanto impensior, ne dolere posset tua patientia. Quippe si es doctus, mihi sufficit demonstrasse tibi loca, in quibus consuevisti exspatiari cum ingenio; quod si commotus sola quadam curiositate huc accedis, abunde satiaberis in cognitione monumenti alicujus peregrini. Vive felix, grate interpretans hunc meum affectum, quo meas Gemmas tibi offero & dono.

Sanctiſſimo Domino

ALEXANDRO VII.

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO.

Quum Sanctitas Tua dignata ſit pacem favoremque impertire his proximis diebus meis ſub auſpiciis feliciſſimæ Tuæ ſtellæ, venio ſupplex, ut ſungar canone ac tributo otii mei, offerens Tibi in hoc libro imagines antiquarum Gemmarum depictas, in quibus excellit quidem ipſa materia, & multo tamen magis ars ac præſtantia earum. Ad hoc nego-

tium me adjunxi, quoniam, ex quo Sanctitas Tua curam antiquitatis mihi commisit, placuit etiam illi aliquoties approbare diligentiam in ea meam. Quin & studiosius persuasit mihi eruditum ipsarum Gemmarum argumentum, non illud dissidens ab doctrina illa, in qua ab primis annis Tu Te involvisti simul cum aliis institutionibus & disciplinis; ita ut hodie nova virtute quadam quasi in factum redigas claras præteriti temporis memorias, & exemplum præbeas heroicæ ac divinæ pietatis. Cui rei fidem faciunt tum ipsæ antiquitates, quas Tua Sanctitas suscepit instaurandas jam ab principio pontificatus Tui, tum pium ejus studium erga Ecclesias & Basilicas, tum etiam munificentia per universam Urbem: ita ut Roma impugnata gravissimis malis agnoscat incolumitatem suam in Tua Providentia, & pariter exsurgat formosior, etiam ipsis ruderibus cum ea

læ-

lætantibus, quaſi jam jam ponendis ſuper ſua fundamenta & diuturnis victuris, quum ab injuriis & annis fuerint reparata. Idcirco tanquam Principi Antiquitatum Conſervatori, conſecro Sanctitati Tuæ has imagines, & ſimul ſupplico, ut dignetur reſpicere in variis earum ſymbolis expreſſam profundæ devotionis meæ conſuetudinem erga Sanctiſſimam Perſonam Tuam & Excellentiſſimam Domum ac Nepotes, ad quorum virtutem reſpiciunt publicæ ſpes & excitantur commnnia vota. Et hìc proſtratus in terram adoro pedes Sanctitatis Tuæ, Deum precans, ut in bonum Chriſtiani nominis Te ſoſpitet ac cuſtodiat,

Sanctitatis Tuæ

Humillimus ac Devotiſſimus ſervus

LEONARDUS AUGUSTINUS.

INDEX
IN
GEMMAS ANTIQUAS
DEPICTAS

AB

LEONARDO AVGVSTINO.

A.

B.

C.

D.

F.

G.

H.

I.

INDEX

FINIS.

ANNOTATIONES
AD
GEMMAS
ANTIQUAS
LEONARDI AUGUSTINI.

PARS SECUNDA.

ANNOTA-

DISSERTATIO

DE GEMMIS ANTIQVIS ANNVLORVM.

PRincipio uſurpati fuerunt annuli non ad ornamentum, ſed ut eſſent ſigilla, teſſeræ & pignora; non decorati vel artificio vel gemmis; ſed eadem materia, unde confecti erant illi, ferrum nempe aut metallum vel aurum continebat ſigillum & formam ei dabat. Mox cum uſu accrevit ſpecies, & impoſiti illis ſunt lapilli electiſſimi; quin etiam ut fieret eorum pretium inæſtimabile, quæſita eſt inſignium maxime artificum induſtria, atque hinc emanavit fama Pyrgotelis, Theodori, Apollonii, Croni & Dioſcoridis: de qua re ſatis ſcripſerunt Plinius & Macrobius. Mihi quidem animus non fert loqui vel de antiquitate vel modis ac dignitate annulorum, neque etiam de materia & virtute lapidum inciſorum, ſed tantummodo referre utilitatem rerum illic expreſſarum, velut introductionis loco figurarum hujus ſecundæ & primæ partis; quod declaraturus ſum ea brevitate, quam mihi definivi. Nihilominus incipiam ab ratione incidendi gemmas, quæ duplex eſt, altera cava & profunda, Græcis appellata γλυπτικὴ

vel διαγλυφικὴ, altera eminens, & exhibens figuram ab fundo elevatam, illis dicta ἀναγλυφικὴ vel ἀναγλυπτικὴ. Priore modo ſculptæ gemmæ & cavatæ adhibebantur ad ſigilla, & vinctæ in annulis ſignatoriis ectypum in cera relinquebant, & ſic ſignabantur tabulæ, ſcripta, & res pretioſæ ac familiares. Aliæ gemmæ elaboratæ ita, ut media eminerent, adhibebantur modo ſolius ornatus cauſa, tam in annulis, quam armillis, monilibus & zonis fibuliſque gemmatis, quarum aliquot exempla ſunt in promptu & viſa. Erant vero illæ inſculptæ achatis, ſardonycibus, onycibuſque & aliis gemmis, quæ nobis vocantur camei. I. varii lapides; ex quibus tamen ſunt achatæ admirabiles ad ludum jocumque præbendum arti propter varietatem colorum naturalium. Inſuper geſtabantur in pectore, tanquam amuleta, & bullæ, & ad oſtentationem honoris, ſicut apud Fulvium Urſinum exſtat effigies Alexandri Magni & Olympiadis matris ejus, inhærente ipſius pectori lapide vario cum capite Jovis Ammonis. Cæterum ea, quæ reperiuntur lapidibus annulorum inſculpta, admodum ſunt diverſa; eo quod unicuique licebat iſtic exhibere & geſtare quod lubebat: præcipue autem reperiuntur Dii, Heroes & Genii Tutelares vel privatorum hominum, vel familiarum aut civitatium, etiam Reges, Duces militum, vultus majorum atque etiam ipſorum, qui uſurpabant gemmas & digitis geſtabant: & præter hos pro uniuſcujuſque artificio & ſtudio Philoſophos, Poetas, Oratores, Curſores, Athletas, bigas, quadrigas, victorias, & palmas Olympicas ſacrorumque certaminum. Alii referebant in

eis historias rerum gestarum in honorem virtutis & splendorem famæ, similiterque dignitates, sacerdotia, sacrificia, sacra mysteria & insignia sacra, itemque varia symbola moralia ac naturalia cum signis cœlestibus & stellarum positionibus, in quibus multi varia credulitate ac superstitione se deceperunt. Quod vero attinet ad formatos in eis Deos, Atteius Capito peritissimus juris pontificii & memoratus Macrobio, prohibebat Deos gestare in annulis sculptos, *cum nefas esse sanciret Deorum formas insculpi annulis.* Attamen dense ac numerose id fecerunt, & plurimos videmus in gemmis, non modo ex eis, qui singulares erant Romanorum, sed quotquot ad eos venerunt ex Græcia, Ægypto, Perside: & vituperat Plinius, non solas fœminas, sed etiam viros in annulis habere amuleta & idola Ægyptia, Harpocratem, Isin, Osirin, Canopum & alios. *Jam vero Harpocratem statuas Ægyptiorum numinum in digitis viri quoque ponere incipiunt.* Multa numina in hoc scripto occurrunt Ægyptia, Persica, Asiatica, Græca & Romana, & sane posset eorum turba colligi ad componendam plenam Iconologiam. Quod ad Heroas & civitatum conditores Regesque & Principes attinet, offerunt se Pergamus, Helenus, Diomedes, Perseus, Hiacynthus, Hercules, Hyllus, Aventinus, Romulus, cum lactente lupa, & similes, tum in his, tum in aliis imaginibus & ipsis gemmis. Et ut veniamus ad Reges, Alexander Magnus scribens in Europa signabat propria sua effigie; at in Asia utebatur annulo Darii. Interpres Thucydidis narrans Xerxem imperasse Artabazo, ut reddens epistolam Pausaniæ Spartanorum

norum Duci, monſtraret ei regium ſigillum, addit ſignum regum Perſicorum ex quorundam opinione fuiſſe imaginem Xerxis, ut vero alii cenſent, Cyri, aut ejus equi, cujus hinnitu nactus erat regnum. Etiam Perſici Reges uſurparunt ſigillum cum imagine Semiramidis, vel potius Rhodogynes, ut teſtatur Polyænus. Alexander autem ita fuit delicatus in effigie ſua in gemmis, ut elegerit ſibi clariſſimum artificem Pyrgotelen, omnes alios vetans in eis ſe exprimere, ſalvo honore Apellis ac Lyſippi. Eum Pyrgoteles variis ſimulavit modis, & nos illum vidimus cum cornibus in capite ea forma, quam monſtravimus in pulcherrimo achate, quando ornare ſe ſolebat purpura & cum cornibus Ammonis, cujus credi volebat filius. Non paucæ reperiuntur cum Alexandri vultu gemmæ, quæ fuerunt portatæ in digito & annulis ad amuleti modum, non ſecus ac ſi ejus imago juvaret ad ſortunanda negotia & conſilia eorum, qui eam portarent; etiam Spartiano adnotante, in familia Macrianorum tam viros quam fæminas ſemper geſtaſſe vultum Alexandri tum in aliis ornamentis tum in annulis, & ob eandem cauſam credi poteſt eundem Auguſtum quoque ſignaviſſe imagine Alexandri. Ad quam conſuetudinem geſtandi in annulis vultus Regum, adjungemus exemplum Luculli, quum in bello Mithridatico profectus Alexandriam, honoratiſſimeque exceptus ab Rege Ptolemæo repudiavit omnia etiam pretioſiſſima munera, ſolum recipiens ſmaragdum auro illigatum; quem tamen etiam omnino ſpreviſſet, niſi Rex ipſi monſtraſſet propriam effigiem in ea gemma ſculptam. Plinius Nepos Trajano ſcribit

de

de Callidromo ſervo Pacori regis Parthorum per multos annos, qui veniens Nicomediam ſecum apportaverat gemmam cum imagine Pacori habitu & cultu regio. De Romanis Imperatoribus produximus elegantiſſimas gemmas Julii Cæſaris, Auguſti, Tiberii, & ſic multorum aliorum, quæ ſuis quæque temporibus erant uſurpatæ. Auguſtus, de quo paulo ante fuimus loquuti, in ſignandis epiſtolis, diplomatibus & libellis ſupplicibus, primo utebatur Sphinge, dein gemma imaginem Alexandri Magni continente, & tandem is ſignavit ſua ipſius, quam ſculpſerat Dioſcorides, eademque ſignare perſeverarunt Tiberius & alii inſequentes Principes. In principatu ejuſdem Tiberii capital erat, ſi quis in latrinas aut lupanaria intuliſſet effigiem ejus in annulis aut nummis: celebrataque eſt cautela & fides ſervi Pauli, viri prætorii, qui inebriatus in convivio, & cupiens urinam exonerare, manum obſcœnis admovit, cui erat inditus annulus cum imagine Tiberii; & jam accuſandus erat delicti capitalis, niſi diligens ſervi cura eum liberaſſet: quippe non advertenti domino annulum digito abſtulit, monſtravitque eo tempore illum in ſua manu fuiſſe. Liberti Claudii dabant annulos cum vultu Principis illis, quos volebant admittere, & hi ſoli habebant jus accedendi ad Principem; licet hi annuli eſſent aurei, quoniam Claudius in principatu ſuo non uſus fuit gemmis, ſed auro ſignavit. Effigies majorum, ſicut ſolebant poni in clypeis aut ſcutis & in atriis, ſic gloriæ cauſa geſtabant quoque in annulis. Tales nonnullæ conſpiciuntur Herculis, in typum Heraclidarum, quas etiamnum ad ejus ſimilitudinem videmus

ornatas ſpoliis Leonis. Valerius Maximus ſcribit, Cenſores annulum abſtuliſſe filio Scipionis Africani, in quo effictus erat vultus Scipionis patris. Cicero agnoſcens ſigilla literarum ab conjuratis cum Catilina ſcriptarum, in eo, quod erat Lentuli, reperiebat imaginem Cornelii Lentuli, avi ejus, viri clariſſimi, & ſiceum rogavit: *tum oſtendi tabellas Lentulo, & quæſivi, cognoſceretne ſignum. annuit. eſt vero, inquam, ſignum quidem notum, imago avi tui clariſſimi viri.* Et ob hanc cauſam in gemmis effigiati ſunt multorum illuſtrium virorum vultus, Numæ Pompilii, Junii Bruti, T. Quintii Flaminini, L. Sulpicii, & aliorum, tam in nummis quam in gemmis, ab ſucceſſoribus in familiis ipſorum: multi etiam ignorantur & obſcuri jacent ob defectum nominum, quæ adpoſita non ſunt. Julius Cæſar teſſera utebatur cum imagine Veneris Victricis, a qua & Ænea gloriabatur originem ſuam eſſe. Dio vocat Venerem Armatam, ſcribitque Cæſarem habuiſſe eam ſculptam in ſigillo ſuo, ac portaſſe in annulo, prout demonſtravimus in priore parte in onyce, cum haſta vel ſceptro, galea in manu, & ſcuto ad pedes, nec valde differens occurrit expreſſa in nummis. Quod ad Philoſophos, Cicero lib. 5 de finibus loquitur de imagine Epicuri, quæ ab ejus familiaribus exprimebatur non modo in picturis, ſed etiam in ſcyphis & annulis. Sic in gemmis durant varii vultus philoſophorum, poetarum, oratorum & celebrium ingeniorum, Solonis, Socratis, Platonis, Archytæ, Diogenis, Apollinis Tyanei, Demoſthenis, Ciceronis, Senecæ, Homeri, Virgilii, Philemonis, Ariſtomachi, Heracliti & Democriti,

criti, quos damus in hac ſecunda parte. Sic Apollo & Muſæ, Hercules Muſageta, & alia ſymbola pertinentia ad poeſin, ad poema Heroicum, ad Eclogas & ad ſcenam. Etiam in hac parte ſecunda repoſitum eſt pulcherrimum ſigillum Neronis, nempe Citharœdus ſub forma Apollinis cum fabula Marſyæ, quod ſatis memorabile. De illis, qui ſignabant propria imagine in annulo, exemplum habemus in Pſeudolo Plautina militis illius, qui apud lenonem relinquebat ſymbolum ſuum pretium proſtibuli.

Ea cauſa miles ſuum reliquit ſymbolum
Expreſſum in cera ex anulo ſuam imaginem.

Et Martialis de puero Bruti

Gloria tam parvi non eſt obſcura ſigilli,
Iſtius pueri Brutus amator eras.

Et per hanc cauſam multi in antiquis gemmis occurrunt ignoti vultus. Superſunt etiam varia monumenta athletarum, & expreſſum habemus Allionem coronatum oleaſtro vel lauro in ſacris ludis Olympicis vel Pythiis, Manferum victorem quoque cum palma, bigas, quadrigas cum victoria, curſores, deſultores, gladiatores, rudiarios. Plinius nepos ſignabat annulo, cujus ſymbolum erat quadriga, quoniam ipſe, ut ſcribit Calviſio, delectabatur ludis circenſibus: *Circenſes erant, quo genere ſpectaculi non leviſſime quidem teneor*, etſi negligebat eos captus majore amore erga ſtudia literarum. Similes bigæ & quadrigæ relatæ ſunt in prima parte, in cujus principio exhibentur aliquot effigies Herculis juvenis imberbis & barbati, coronati oleagina aut laurea corona, quomodo

etiam

etiam conſpiciuntur in nummis Græcis & marmoribus; & nihilominus poſſent eſſe effigies athletarum vincentium, id quod admonendum putavi. In aliis gemmis recognoſcimus aquiliferos, legionarios milites cum præmio, tropæis, & victoriis, ſymbolis & honoribus bellicis, ut leguntur apud Xenophontem ſymbolum militum Cyri fuiſſe Victoria & Jupiter Conſervator. Timoleon Corinthius in Calauria confligens cum Iceta ad fluvium Damyriam, & ducibus ejus certantibus, quis primus fluvium tranſiret, ille ad finiendam controverſiam annulos univerſorum inditos chlamydi ſuæ & ſimul permixtos educi juſſit; primus autem qui excidit, imaginem habuit tropæi, quod augurium fuit victoriæ. Quum Galba Imperator in Hiſpania eſſet, in munitionibus caſtelli alicujus inventus fuit annulus antiquus, in cujus gemma erat inſculpta Victoria cum tropæo, quæ ſimiliter augurium imperii Galbæ dedit. In Curculione Plautina Therapontigonus miles in annulo ſculptum habebat clypeatum militem, qui gladio percutiebat elephantem. Quis potuiſſet unquam in lucem reducere ſacrificia Jovis, Bacchi, Cereris, Salutis, Dianæ, aut myſteria Eleuſinia, Dionyſiaca, Epheſia, Iſiaca & Mithriaca, cum Silenis, Bacchantibus, Fanaticis & ſacris inſignibus Apollinis, Mercurii ac Martis, aut Salios ac Ancilia, quæ nos protulimus? Inter hiſtorias in gemmis expreſſas ſatis nota eſt illa Sullæ, qui quum cepiſſet Jugurtham, traditum ſibi ab Boccho rege, ad quem fugerat poſt cladem, ita facto iſto gloriabatur, ut id geſtaret in annulo ſculptum, ſemperque eo ſigillo uteretur, ita ut conſpicitur in nummo

mo argenteo cuso ab filio ejus Fausto, ubi exhibetur Sulla Quæstor in sublimi solio, & Bocchus genu humi flectens porrigit illi ramum lauri, quum interim Jugurtha adstat ingeniculatus manibus retro ligatis instar captivi. Hispanus ille ex Intercatia, cujus pater quum provocavisset Scipionem Æmilianum, ab eodem victus fuit & occisus, ille tamen gloriabatur eo ipso, curavitque sculpi in annulo pugnam istam, utens eo sigillo; unde Stiloni occasionem dedit ridendi, dicendique, id non fuisse ipsum facturum, si Scipio ab patre ejus fuisset victus? In compluribus gemmis & variis modis sculptum habemus factum Mutii Scævolæ, Cincinnati, ut se armis induat, cervam Sertorii prope tropæum, caput Pompeii ad portatum Cæsari, itemque varias fabulas, Arionem, Orpheum, Ganymeden, Jolen, Ledam, Hermaphroditum, quorum adferimus exempla. Sed omissis his symbolis sive naturalibus sive moralibus aliisque, quæ requirerent integrum opus, annotabo alia quædam loca veterum auctorum, in quæ incidi ad diversitatem figurarum in gemmis pertinentia. Antiquissimum fuit sigillum Ulyssis usque ab Trojanis temporibus. Quanquam in illis non consentiat Plinius fuisse usum annulorum, tamen scribit Plutarchus eum in scuto posuisse & annulo suo insculpsisse delphina, qui conservaverat Telemachum filium lapsum in mare. Similis delphin occurrit in prima parte in onyce sive per hanc occasionem, seu potius sit signum cœleste. Josephus in Antiquitatibus Judaicis allegat epistolam, ab Ario rege Lacedæmoniorum scriptam ad Oniam Pontificem, in qua significat ei regium sigillum Aquilam,

quæ unguibus tenebat ſerpentem, & talis alia occurrit in quibuſdam nummis. Seleucus Rex Babyloniæ a matre dono acceperat annulum ſerreum, cui inſculpta erat ancora, ſignum firmitatis ac ſecuritatis: & Polycrates quoque in annulo ſuo uſurpabat ectypum lyræ. Sigillum in annulo Amphitruonis apud Plautum erat Sol oriens in quadriga, & ſimile novimus in aliis vetuſtis gemmis. Iſmenias choraules ſolitus uti pulcherrimis gemmis, comparavit ſmaragdum, in quo ficta erat Amymone, una ex quinquaginta filiabus Danai, impleta ab Neptuno. Pompejus in annulo ſuo habebat leonem, qui ferebat enſem; & hic ipſe adhuc apparet expreſſus in nummo argenteo Marci Antonii. Mæcenas utebatur ectypo ranæ, etiam quando ſignabat in abſentis Auguſti vicem. Sporus in auſpicio ſtolidarum & inſamium nuptiarum Neronis donabat ei annulum, in cujus gemma erat raptus Proſerpinæ; fuitque is augurium funeſtum huic ipſi Neroni. Galba ſignabat annulo & ectypo majorum ejus familiæ Sulpiciæ, nempe cane inclinatum habente caput ſub proram navis. Commodus ſolitus ſe adornare habitu Herculis & ſpoliis leonis in capite, appellans quoque ſe Herculem Romanum, gerebat etiam pro inſigni Amazonem ſculptam in gemma annuli, eaque utebatur ſigillo, tanquam cum Hercule is viciſſet Amazonas. Non prætermittam hîc annotare, quemadmodum in inſula Lemno ſacerdotes Dianæ exhauſtam ex ſpelunca terram quandam rubeam mixtam cruore capræ ſignaverint annulo, cui inſculpta erat capra & imago ejuſdem Dianæ, & per opem hujus terræ ſanatus fuit Philoctetes, ut refert Philoſtratus. Non

me

me nunc occupabo in contemplanda varietate annulorum & ſigillorum ex gemmis magicis, quales fuerunt ſeptem illi annuli donati Apollonio Tyaneo ab Jarca principe Gymnoſophiſtarum, in quibus erant nomina ſeptem ſtellarum; & qui memorantur ab Plinio, Leo ſculptus in auro & nomen Solis ac Lunæ in amethyſto, aut aquila aut ſcarabæus in ſmaragdo, quoniam hæc ſeſe ipſa oſtentant in ſuis figuris. De Leone, ſigno cœleſti, hoc ſolum dicam, Alexandrum Magnum quoque in annulo uſum fuiſſe ſigno Leonis, & vult Tertullianus eam fuiſſe ſtellam dominantem in illius genitura, niſi potius videatur eo uſus utpote inſigni regum Macedoniæ, venientium ab Hercule, unde in eorum nummis reperitur Leo & Clava. Chriſtianorum veterum pietas conſuevit pro ſymbolo in gemmis annulorum habere nomen Chriſti ☧ Columbam, Piſcem, Piſcatorem, Ancoram, Lyram, Arcam Noæ, Naviculam Petri. Per columbam Clemens Alexandrinus intelligit ſpiritum ſanctum, per piſcem apparatam ab Chriſto diſcipulis menſam poſt reſurrectionem, aut quinque piſces, quibus ille ſatiabat quinque hominum millia, Eccleſiam per navem, Concordiam per lyram, Conſtantiam per ancoram, Apoſtolos per piſcatores, vel etiam baptiſmum; ſed de navicula Eccleſiæ inciſa gemmæ legitur eruditiſſima Diſſertatio, quam ſcripſit Hieronymus Aleander junior, lux literarum & fax ſplendens antiquitatis. Sed ut concludamus hunc ſermonem dignitate & pretio inſculptarum gemmarum; nihil illis deeſt præter titulos & nomina, ut ſibi tribuant maxime notabiles memorias & inſignia monumenta antiquitatis, in quibus

multæ hinc ſuperſunt obſcuræ. Et quamvis in hoc cedere coguntur nummis,qui habent titulos ac nomina, tamen ſuperant eos præſtantia cœlaturæ, & ſculptura clariſſimorum ac rariſſimorum Græciæ artificum, atque idcirco apud antiquos omnem æſtimationem exceſſerunt. Notum eſt mirabile Polycratis Samii tyranni factum, qui felicitatem ſuam ponebat in ſmaragdo ſculpto ab Theodoro Samio cive. Nonius ſenator Romanus fugiens proſcriptionem, ex opibus ſuis nihil portabat ſecum niſi gemmam vel palam in annulo, æſtimatam viginti millibus HS., utique ob artificium, eaque fuit occaſio ipſi mortis, quum eam vehementiſſime deſideraret Antonius. Non loquor de inæſtimabili achate Pyrrhi,in quo erant Apollo cum novem Muſis, quoniam non talis erat arte humana, ſed ipſa natura ſic eum in ipſo lapide variaverat. Porro accrevit ſummopere in urbe Roma delicatum illud ſtudium ac deſiderium gemmarum, quando aliæ peregrinæ conſuetudines ex Græcia & Aſia eo influxerunt, magiſque quam ipſæ gemmæ, requirebatur artificium & elegantia figurarum. Unde Tibullus loquens de Delia.

Sæpe velut gemmas ejus ſignumque probarem,
Per cauſam memini me tetigiſſe manum.

Primus Romanorum qui in dactyliotheca eos collegit, fuit Scaurus Sullæ gener; Pompejus in Capitolio repoſuit gemmam regis Mithridatis, ad cujus exemplum Cæſar conſecravit ſex dactyliothecas in templo Veneris Genitricis, & aliam Marcellus in tem-

templo Apollinis Palatini. Elagabalus autem ita ſtudioſus erat in gemmis excellentiſſime ſculptis ab egregiis artificibus, ut quotidie annulum mutaret, & ſicut in omnibus ſtudiis & affectibus erat fatuus & inſanus, ſic ad majorem ſpeciem electiſſimis earum adornabat tibialia & calceos, unicuique movens riſum, non ſecus ac ſi pretioſi iſti & ſubtiliſſimi in gemmis labores conſpici poſſent, quas in pedibus inutiliter gerebat. Gallienus quoque ſatis delectabatur his ornamentis, caligaſque & armillas ac monilia his inſtruebat; in quibus forſitan nimis ſum provectus.

SYMBOLUM AC TYPUS LIBRI

Exſculpſit gemmas Pallas, ſignavit Apollo
Hoc opus; eſt olea, eſt laurea ſacra typus.

ANNOTATIONES

ad

ANTIQVAS GEMMAS

LEONARDI AUGUSTINI.

1. MINERVA.

De ea dictum aliquid in priore parte harum imaginum: hæc desumpta ex trunco achatis, sculptura exstante, & hujus quoque magnitudini respondente, notabilis est propter armaturam; quippe quæ in pectore gestat ægida, ut appellant, intextam squammis, exhibentemque in medio caput Medusæ serpentibus fimbriatum. Alia est ægis ex pelle capræ Amaltheæ, qua armabantur Jupiter & Minerva contra gigantes, eo modo, ut in statuis quibusdam reperitur. Sed hæc lorica ex squammis serpentum formatur, & fabulati sunt Cyclopas eam cudisse huic Minervæ, ut elegantissime describit Virgilius.

Certatim squammis serpentum auroque polibant
Connexos angues, ipsoque in pectore Divæ
Gorgona desecto vertentem lumina collo.

Simi-

Similem quoque is describit armaturam Turni; & ad imitationem Minervæ hæc ægis vel lorica usurpata fuit in modo armandi se apud Græcos & ab Romanis Imperatoribus; imo & ipsa Roma in eodem paratu conspicitur cum galea & ægide in pectore: quoniam Romani magnitudinem suam reponentes in armis, & jactantes suam originem ex Marte, voluerunt quoque adorare genium civitatis suæ bellatricis sub forma Minervæ, summa cum cærimonia venerantes fatale Palladium, fingentes quoque Romam non minus ambire sceptrum Jovis, quam ægida Palladis, prout industrie hæc exsequitur Claudianus,

Seu sceptrum sublime Jovis, seu Palladis ambis
Ægida.

Atque hæc ideo dicta sint, si forsan quis crederet hanc fuisse Romæ imaginem, non Palladis, quum nec locus hic, nec brevitas permittant hærere in contemplandis tenuibus quibusdam differentiis, quæ inter eas agnoscuntur. Cæterum hæc Gorgon sic gestabatur in pectore ad movendam hostibus trepidationem, ut colligitur ex Homero hanc ipsam Deam armante, & Ovidio in mutatione capillorum Medusæ.

Gorgoneum crinem turpes mutavit in hydros,
Nunc quoque ut attonitos formidine terreat hostes,
Pectore in adverso, quos fecit, sustinet angues.

De quo magis singillatim acturi sumus in lapide vario, qui sequitur num. 3 cum capite ipsius istius Medusæ; primum locum occupare jusso hoc pulcherri-

mo trunci Minervæ fragmento: quod licet ſit ſculptum in achate, elevata & exſtante ſculptura; tamen inter ectypa & varios lapides eſt hæc ſtatua excellens non tam raritate ſua, quam propter aliam dotem; quippe quæ dedicata eſt genio Eminentiſſimi & Rev. Principis Cardinalis Virginii Urſini, genii convenientis Minervæ & omni elegantiæ & doctrinæ in literis, quam adfert ad cognitionem nummorum & antiquitatis: unde dignatur interdum aperire mihi Muſeum ipſius locupletiſſimum, in quo natura & & ars certant ſtupendis utriuſque effectis, & inde aliis gemmis augebitur harum ornamentum.

2. PALLAS.

Hic elegans varius lapis cum capite Deæ Palladis occaſionem præbet conſiderandi alatum in galea Pegaſum, ſic forſan ſculptum Corinthi: quippe credebatur Deam hanc frænis eum induiſſe & donaſſe Bellerophonti civi ejus urbis & Heroi ad devincendam Chimæram. Et ideo Corinthii, ut refert Pauſanias, exſtruxerunt templum Minervæ Frænatrici, qui etiam apud ſe monſtrabant fontem Hippocrenen ſcaturientem ex impreſſa alati equi ungula. Etiam in inſignibus habuerunt Bellerophontem jam jam percutientem Chimæram, ut apparet ex eorum nummis. Et hîc firmarem cauſam hujus equi alati, niſi viderem multos Syracuſarum nummos cum capite Minervæ tutelaris geſtantis in galea Pegaſum, & in eodem plane habitu. Videlicet Syracuſani erant Corinthiorum coloni, unde inſigne Pegaſi fuit tranſvectum & manſit frequentiſſimum Syracuſis in nummis ejus urbis; unde

unde etiam credi poteſt, hunc noſtrum varium lapidem ſculptum fuiſſe illo tempore, quo urbs illa ſupra omnes alias excellebat ſplendore & magnificentia. Galea ingens & ſublimior in vertice, in ipſa pugna demittebatur ab fronte in vultum, eum tegens & ſimul obtendens larvam, quæ illi inſculpta eſt, ut apud nos dicitur calar la viſiéra. Cæterum præſtantia hujus varii lapidis mihi ſubminiſtrat rationem ornandæ memoriæ Caſpari Moroni, illuſtris nummorum ſculptoris, qui dum vixit, hunc cariſſimum ſervabat in muſeo ſuo: & ſane ipſe nunc etiam mihi placeo vel ob ſummum artificium vel ob amicitiam, quæ mihi fuit cum egregio illo viro, claro per typos in nummis & monetis quatuor ſummorum Pontificum Urbani VIII, Innocentii X, Alexandri VII, Clementis IX.

3. MEDUSA.

Fuit Meduſa formoſiſſima univerſo corpore, ſed tamen præcipue jactabat gratiam crinium, quos Minerva in ſerpentes mutavit propter ejus cum Neptuno coitum in ſuo templo. In hac imagine occurrunt verſus Virgiliani relati ab Servio in viperinis crinibus & caudis ſerpentinis ſub mento conſtrictis.

Gorgonis in medio portentum immane Meduſæ,
Viperea circum ora comæ cui ſibila torquent
Infameſque rigent oculi, mentoque ſub imo
Serpentum extremis nodantur vincula caudis.

Non debeo negligere hic recordationem curioſiſſimi numiſmatis Septimii Severi, in cujus altera parte exhibe-

hibetur caput Medusæ, & circa literæ PROVIDENT. quo significat, Palladem simul Deam esse prudentiæ & providentiæ, prout erudite exponit in selectis suis numismatibus Abbas Seguinus Decanus S. Germani, quem ego hic saluto, ut ex ipsius nomine per insignem doctrinam & antiquitatis notitiam claro honorem mihi quæram, qui præclarus Vir bis Romam versus Parisiis itinere facto, & præsens & remotus comitate sua me dupliciter obstrinxit ad ipsius æternum obsequium. Videmus igitur Gorgona fuisse symbolum Palladis, ut Leo Herculis, Tigris Bacchi, & Cerva Dianæ: & præterea etiam cognoscitur, eam usurpari solitam non tantum in armis ad terrorem incutiendum, sed & gestatam in tergo & in annulis amuleti instar ob victoriam & salutem. Credebant capiti Medusæo inesse vim præstandæ securitatis & custodiendi illos, qui id portabant, & abigere pericula & mala, ut refert Lucianus, vel anonymus auctor dialogi, qui inscribitur Philopatris, inducens Critiam vel Triephontem sic loquentem in versione Latina. *TRIEPH. Dic mihi, Critia, quæ Gorgonis utilitas est? & cur pectori gestamen hoc Dea applicitum habet? CRIT. Uti terribile quoddam spectaculum & quod mala avertere possit, sed & hostes perterrefacit, & victoriam utroque inclinantem quocunque ipsa vult advertit. TRIEPH. Num ob hoc ipsa quoque Glaucopis invicta atque insuperabilis est? CRIT. Atque admodum. TRIEPH. Cur igitur non illis potius, qui servare possunt, quam qui servantur, femora adolemus taurorum atque caprarum, ut nos quoque insuperabiles atque invictos reddant, perinde ut Diis, sed solum si quis ipsam gestat.* Tanta

igitur

igitur erat poteſtas Meduſæ, ut ipſam Minervam faceret inſuperabilem & invictam, & ideo exprimitur ea in tot variis lapidibus, ſculpturis, marmoribus, ſtatuis antiquis in thorace & clypeo, utpote quæ quaſi favorabile amuletum geſtaretur, quo obſtupefaceret & audaciam demeret aggreſſoribus, averruncans pericula omnia & mala. Quapropter Meduſa, præter inſcriptionem *Providentiæ*, habuit quoque alteram *Salutis*: ut ſane conſpicitur egregia ſculptura in jaſpide rubra penes Clariſſ. Rondeninios, cum capite in extremis alato & crinito ſerpentibus, ut eſt proprium Gorgonis, & literæ Græcæ CωCOC videntur mihi ſignificare Σῶζον, derivatæ ab σώζω *ſalvo*, & hæc eſt Meduſa, non vero ſalus.

4. ISIS ET SERAPIS.

Duo capita, quæ ſe aſpiciunt, exhibent Iſin & Serapin, qui ex opinione Ægyptiorum habiti pro ſole & luna. Alter in vertice habet calathum fœcunditatis, altera frondes perſeæ, quod ſymbolum ſilentii ac veritatis, quod ſatis demonſtratum eſt in parte prima, quum agebatur de eorum imaginibus num. 1 & 68. Tantum hoc loco id obſervari meretur, quod tunc neglectum eſt, inſtrumentum vicinum Iſidis pectori eſſe ſiſtrum, quod melius in prima imagine exprimitur. Etiam obſervamus, formas horum numinum & Harpocratis geri ſolitas in annulis, tanquam amuleta vel phylacteria, quippe quum exiſtimarentur ſervatores & benefici, & ab dominio harum ſtellarum & influxuum contineri ac ſervari univerſam naturam.

5. HERCULES ET CERBERUS.

Ultima Herculis ærumna fuit tartarus, nempe deſcendere illuc & educere in lucem ligatum Cerberum, prout deſcribit Seneca in tragædia Hercule Furente.

Tunc gravia monſtri colla permulcens manu
Adamante texto vincit: oblitus ſui
Cuſtos opaci pervigil regni canis.

Arbor, quæ eſt propter hunc heroa, videtur ſignificare aliam ejus ærumnam, nempe ob poma aurea Heſperidum. De Cerbero dicetur aliud quid in proxima imagine Orphei. Sed annotatu dignum eſt, ærumnas Herculis inveniri frequenter inciſas ſculpturis & gemmis, quum is Deus propter vires ſuas eſſet fere tutelaris athletarum, qui velut inſigne geſtabant eum in annulis,ut ſic faveret ipſis ad impetrandam palmam: quoniam is inſtituit ludos Olympicos, cucurrit in ſtadio, ſuperavit Antæum lucta, ita ubique relinquens glorioſa roboris ſui monumenta.

6. HERCULES VICTUS AB AMORE.

Poetæ antiqui ſignificaturi vim Amoris in univerſa rerum natura, ſtatuerunt eum victorem non modo hominum, ſed pariter heroum ac Deorum. In hac ſculptura videmus Herculem, qui in locum oneris Atlantici,humeris portat Amorem,qui magis eum gravat, quam cœleſtes ſphæræ, eumq; in triumphum ducit manibus in tergo ligatis ad modum captivi ſervi, effin-

gens

gens ita tropæum per clavam & exuvias leonis. Unde ille, qui tot feras vicit ac monſtra, & qui domari affligique ira Junonis aut duris Euryſthei imperiis non poterat, ſubjugatur & vincitur ab ipſo Amore, ut ei exprobrat Deianira apud Ovidium.

Quem non mille feræ, quem non Stheneleius
hoſtis,
Non potuit Juno vincere, vincit Amor.

Talem vero eum finxerunt ſoli voluptatis ſectatores, quum alium eum facerent cultores virtutis. Symbolum aut nota literæ decuſſatæ vel tranſixæ x, expreſſa in circulo inter clavam & Leonis exuuias, videtur in ſe continere obſcurum ænigma, quod tamen ſignificare poſſet aliquod nomen, ut in aliis raris characteribus & in hac ipſa litera x eſt obſervatum. Hæc nota vel decuſſis invenitur inter hieroglyphica obeliſcorum, atque etiam in aliis Herculis imaginibus occurrit ob certam quandam convenientiam, qualis exhibetur ab Jo. Baptiſta Caſalio in libro de veteribus Chriſtianorum ritibus, ubi eſt parvulus Hermeraclides, aut Hercules terminalis cum ſpolio leonis in vertice, & inferius notata eſt litera x, quæ exponitur ſymbolum ſalutis. Auctor hujus gemmæ ſectator voluptatis videtur voluiſſe per ſymbolum ſignificare vim & potentiam Amoris ſuper ipſam virtutem, cujus idea fuit exiſtimatus Hercules, ducendo illum ſic vinctum. Numerus denarius præ omnibus aliis apud Pythagoricos honorabatur, quia continere in ſe videbatur omnes perfectiones, Sic harmonia virtutis in-

tellecta fuit in decachordo quod complectitur omnes harmonicas proportiones; cujus influxio in mundum colligitur ex circulo, qui tanquam centrum illic notatur: aut sit æternitas ipsius virtutis, quæ continue se vertit æquabiliter cum orbibus cœli ac sphæris. Sed si quis judicabit illud signum esse potius rotam, ut demonstrata fuit rota solaris & ejus perpetuus circuitus & motus in priore libri hujus parte in imagine Canopi & Sphingis, possemus etiam dicere, Herculem esse eundem soli, & duodecim ejus labores referri ad duodecim signa Zodiaci, per quæ is transcurrit ex doctrina Orphei & Porphyrii.

7. VICTORIA.

Mulier alata, quæ prostratum taurum una tenet manu, altera vero cultellum ad feriendum eum, prorsus non pertinet ad superstitiosas cærimonias Dei Mithræ, ut videbimus num. 23, sed exhibet Victoriam, & alludit ad sacrificia exsolvendis votis post hostes victos. Non dissimile quid occurrit in numismate Augusti argenteo cum inscriptione ARMENIA CAPTA. Etiam vidimus aliquot tales Victorias fictas in tegulis coctorum laterum, extractis ex Romæ ruderibus, in quibus amplius etiam exprimitur, nempe ara sacrificii, & sunt illæ artificiosissime elaboratæ, qualis etiam est hæc in crystallo sculpta.

8. ORPHEUS.

Non tantum montes, silvæ & sævissimæ feræ accedebant tractæ ab Orpheo per dulcedinem cantus, sed

ſed etiam potuit hic placare Cerberum ad portam inferni, degreſſurus ad mitigandum Plutonem, ut caram ſuam Eurydicen reduceret in vitam, ut finxerunt poetæ in honorem poeſios. Unde Horatius ſic celebrat Orphei teſtudinem.

Tu potes tigres comiteſque ſilvas
Ducere, & rivos celeres morari;
Ceſſit immanis tibi blandienti
Janitor aulæ
Cerberus, quamvis furiale centum
Muniant angues caput ejus, atque
Spiritus teter ſanieſque manet
Ore trilingui.

Horatius & Virgilius depingunt hunc canem trifaucem cum coma ſerpentina, quæ non apparet in hac imagine, nec etiam in priore imagine Herculis. Sed obſervandus eſt Orpheus totus nudus & ſic fictus ad morem heroum cum vinculo circa crines, aut etiam quod hic habitus ita conveniebat deſcenſui ejus ad regnum umbrarum, quo ille profectus eſt exoneratus omnibus exuviis, præterquam mortalitatis. Faſcia autem vel diadema, quod grandis hic poeta geſtat in capite in typum honoris & divinitatis, fuit quoque attributum Homero, Pindaro & aliis poetis ac philoſophis, ut apparet in eorum ſtatuis.

9. APOLLO ET MARSYAS.

Hæc imago non modo notabilis eſt ob fabulam Marſyæ ligati ad truncum, ut excorietur, quo ſupplicio

plicio affectus fingitur, propterea quod certare & comparare se Apollini voluit cantu; sed quod sub ipsius Apollinis forma exhibetur Nero citharœdus, qui sic venditabat suam musicam, gestiebatque laudari ob victorias cantu reportatas: unde is non solum Romæ in scena, sed in Græciam quoque profectus est ad quærendas coronas in ludorum publicorum solennitatibus, jubens erigi sibi statuas habitu citharœdi, in quo, etiam cum cithara in manibus, videmus eum in numismatibus, quæ ille cudi fecit, ut narrat Suetonius. Etiam adsuerat Nero fingere heroas & deos ad suam effigiem, ut ipse ille auctor scribit: *Item Heroidum & Dearum personis effictis ad similitudinem oris sui*; qualem nunc videmus in forma Apollinis, cui eum comparavit Seneca ob præstantiam canendi, inducens eundem Deum sic illi loquentem.

Ille mihi similis vultu, similisque decore,
Nec cantu nec voce minor.

Est etiam ad truncum suspensa duplex Marsyæ tibia in modum tropæi, & ex sedili pendet persona Sileni, utpote ipso Marsya hic exhibito tanquam Sileno cum cauda, non tanquam satyro, qualis occurrit in statuis, pro variis poetarum & sculptorum fictionibus. Ante pedes Apollinis puer uno genu se demittit in terram, cui Deus porrigit cultellum vel stylum ad detrahendam ligato Marsyæ pellem. Neque sane dubito, quin Romæ in hortis Serenissimi Magni Ducis, statua hujus similiter uno genu ingeniculantis, velut apparantis mucronem cultelli in cote, sit facta ob eandem

eandem causam effectumque respicientis & exspectantis mandatum Apollinis, qui in alia statua exhiberi debebat, ut conspicitur alia Marsyæ ligati in iisdem hortis. Gorlæus in dactyliotheca ponit achaten sardonycem sculptum ab duabus partibus: in una sunt duo capita unum modo latus sui ostendentia, Nero & Agrippina mater ejus, addita ante stella, ab tergo lyra: in altera est cœlatum idem hoc sigillum Marsyæ & Apollinis in similitudine Neronis juvenis, facta allusione ad citatos Senecæ versus. Non dissimile est aliud sigillum prolatum ab Guil. Choulio in libro de religione Romanorum, cum literis circa: NERO. CLAUDIUS. CAESAR. AVGVSTVS. GERMANICVS. P. MAX. TR. P. IMP. P. P. quæ tamen literæ ut sunt hodiernæ & tractæ ex numismatibus Neronis, sic me cogunt dubitare de sinceritate illius sculpturæ. Sed hoc vere antiquum Neronianum sigillum sculptum in rubra jaspide, mihi subministratum fuit ab incomparabili benignitate Illustrissimi & Reverendissimi Camilli Maximi Patriarchæ Hierosolymitani, & Clerici Cameræ Apostolicæ, cujus merito, præter tenue id, quod protuli in parte prima, etiam vereor ne nunc quoque impar sim, quoniam ille dignissimus Prælatus animum possidens & ingenium ornatum locupletissima virtutis & scientiarum supellectile, emicat & splendet velut maximum lumen hujus aulæ, & acclamationibus publicis undique fruitur.

10. CITHARISTRIA.

Eximia hujus sculpturæ gratia, quamvis in massa vitrea & non in lapide duro, facit eam notabilem, ut

& nomen excellentissimi artificis Onisæ, cum literis ΟΝΗϹΑϹ ΕΠΟΙϹ, hoc est, *Onesas fecit*. Sane vidi duo talia exempla in sardio cum citharistria, eodem habitu, quorum unius ectypum in sulphure habeo penes me. Tertium conspicitur impressum in Dactyliotheca Abr. Gorlæi in onyce num. 39 secundæ partis, ubi in locum figuræ nudæ supra pilam vel monumentum exhibetur Victoria, quæ in altum elevat coronam ad coronandam illam citharistriam, ut primam in cantu & vincentem. Sed qualecunque sit illud Gorlæi sigillum, certum est in hoc archetypo cum nomine artificis & in duobus aliis non esse Victoriam super illam basin; sed Heros est nudus cum galea ex usu Græcorum, qui solebant erigere statuas tales & monumenta heroica, ut ex multis locis deprehenditur apud Pausaniam: & videtur citharistria canere laudes alicujus herois ad monumentum ejus. Eadem consuetudo colligitur ex Homero in Odyssea, quum fingit Musas cantantes ad sepulcrum Achillis, unde Pindarus

Citharæ imperantes hymni
Quem Deum, quem heroa,
Quem hominem sonabimus?

Ad Pindari imitationem Horatius oden suam incipit.

Quem virum, aut heroa lyra vel acri
Tibia sumis celebrare Clio?
Quem Deum?

Sed præter hanc consuetudinem invenio apud Pausaniam,

niam, Spartam, unde civitati Spartæ nomen eſt datum, formari mulierem, quæ pulſabat lyram, & ejus ſtatuam videri potuiſſe Amyclis, quæ forſitan poſſet exhiberi in hac imagine cum heroica ſtatua mariti ſui Lacedæmonis, qui nomen dedit Lacedæmoniis, & cujus heroicum ſepulcrum erat Therapnis. Cæterum Spartani adeo delectati ſunt ſonitu lyræ, ut in bellis ea uſi ſint vice tubæ vel tympani. Similis citharistria vel lyriſta conſpicitur in nummis Lesbi, & creditur eſſe poetria Sappho, inventrix plectri & carminis Sapphici.

11. MERCURIUS CUM ARIETE.

In agro Corinthiaco, ut memorat Pauſanias, erat ſtatua ænea Mercurii ſedentis, cui prope aderat aries, quia is Deus ſupra omnes alios credebatur cuſtodire & augere greges & armenta. Idem Pauſanias refert verſus Homeri ex Iliade, qui deſcribunt Phorbantem Ilionei patrem pecoris ditiſſimum, quia præter cæteros Trojanos gratus erat Mercurio, quorum hæc eſt verſio,

Hic tibi natus erat pecoris ditiſſime Phorbas,
Quem ſibi præ cunctis carum Cyllenia proles
Ditarat Teucris.

Hic Mercurii cultus forſan exortus inde quod eſſet Deus opum, quæ antiquiſſimis temporibus conſiſtebant in pecoribus, unde apud Romanos quoque pecunia appellata eſt, & cum hac nota nummi primum cuſi ſunt ab Servio Tullio.

In priore parte harum gemmarum num. 17 occurrit ſardius cum ariete & duabus frumenti ariſtis, & in annotationibus dictum eſt, hunc fuiſſe arietem Mercurii, qui tutelaris Deus armentorum ideo, quia etiam ſpicæ vel ariſtæ eidem Deo ſacræ. Habitus fuit Mercurius idem ſoli, qui in ſigno arietis operatur in mundo vim caloris, prout diximus ex auctoritate Martiani Capellæ.

12. AESCULAPIUS.

In hac imagine exhibentur Dii medici, ab antiquis agniti Dei cuſtodes ſalutis. Ab dextra conſpicitur Æſculapius in ſolito cultu, innixus baculo cui ſerpens circumvolvitur, ad ſiniſtram Hygia vel Salus, illius credita filia: in medio parvulus Teleſphorus Deus reſtituendæ valetudinis, ſic appellatus πλεσφόρος ab confirmanda ea poſt morbum, infirmis pleniſſimum robur reddens ac priſtinum vigorem. Hoc modo tria iſta numina depingi ſolebant, ut colligitur ex Pauſania, ex Ariſtide, ex numiſmatibus & inſcriptionibus. Poculum, quod Hygia manu tenet, appellabatur ὑγεία, vas ſalutis, apud Pollucem, & apud Athenæum μεταάνιπτρον, quæ erat res ſacra, tanquam crater Jovis. Teleſphorus tegit verticem ſuum pileolo, quod dicebatur *bardocucullus*. Corona laurea, quæ ſuperius apparet, ut opinor, fuit dedicata huic Deo conſervatori, qui juxta Feſtum Pompejum coronabatur lauro, quoniam hæc idonea erat multis remediis; modo non ſit præmium ludorum quinquennalium, qui celebrabantur Æſculapio Epidauri, ubi credebatur eſſe natus. Literæ CΥΖΕΤΕ ΜΕ pro CΩΖΕΤΕ

ΜΕ

ME notant *servate me*, aut *date mihi vitam*, ab σώζειν *servare*, quæ erat formula precum ad hos Deos ad impetrandam sanitatem.

13. SACRIFICIUM PRIAPI.

In hoc sacrificio continetur mixta forma Priapi & Bacchi portantis thyrsum in humero, & sic colebatur Priapus in urbe Lampsaco, credentibus Lampsacenis hunc ipsorum Deum esse eundem Baccho, ut narrat Athenæus. *Magno in honore habetur Priapus Lampsaci, quia ex epitheto idem est & Dionysus, sic dictus ut triumphus & dithyrambus.* In solennitate Dionysiaca Ptolomæi Priapus adsistebat Baccho coronato auro & hedera in curru: & in alio curru vehebatur thyrsus, in alio phallus: & id sæpe conspicitur in mysteriis Bacchi, sic ut noster typus vocari possit *Bacchophallicus*: quumque alter esset Deus hortorum, alter vindemiarum, adorabantur ab rusticis, qui sacrabant eis poma & uvas, ut apparet hic eos sacrificare in ara rudi & agresti. Illa vero, quæ cum pomis in canistro portat veretra vel phallos, refert consuetudinem consecrandi Priapo has obscænas figuras eo modo, ut solebant mulieres.

Obscænas rigido Deo tabellas
Ducens ex Elephantidos libellis
Dat donum Lalage.

Et sicut solebant poma ex ceris ficta offerre pro veris ac naturalibus, sic ex eadem cera aut creta aut alia materia fingebant obscænas has figuras, quales nunc videntur.

Lætus Ariſtagoras natis bene villicus uvis
De cera facta dat tibi poma Deus.
At tu, ſacrati contentus imagine pomi
Fac veros fructus ille, Priape, ferat.

Præclarus hic varius lapis electus eſt ex gemmis Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Viri Lælii Urſini, Principis Nerulæ, qui dignatus fuit eum donare huic libro, quem ego hic nomini ejus conſecro, unde jam quoque in parte priore honorem mihi mutuatus ſum.

14. BACCHANTES.

In hoc ſigillo exhibentur bacchantes ſaltatores, armati, & cum perſonis ante vultum, imitantes reditum Bacchi ex Indis, quo illum ſequuti fuerunt Corybantes & armata multitudo. Primus ſuper humerum gerit ſocium, & manu ſubrigit ejus frontem caputque ebrietate labens. Secundus in humeris gerit puerum nudum, qui tergo ejus inſultat bracchiis collum tenentibus. Fieri non poteſt, ut ulla dubitatio oriatur, quin tres illæ priores figuræ non ſint larvatæ eodem larvæ genere, galea & lorica & ratione ſculpturæ præferentibus modum Ægyptium; atque ita exprimuntur antiquiſſimæ cerimoniæ Bacchi, ab Ægyptiis profectæ ad Græcos & Romanos. In vetuſto marmore, quod exſtat in palatio Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Patriarchæ Camilli Maximi, ſunt ſculptæ quatuor bacchantes fœminæ ad eundem Ægyptium modum, quæ ſibi præbent manus ad ſaltandum in habitu ſimili, ex quibus prima vultum ſibi operit larva barbata prorſus

ſus ad hanc noſtram conveniente. In prima parte num. 158 habuimus ſardium cum inſculpto milite Romano, qui in humero gerit alium militem mortuum cum titulo CARITAS MILITARIS; ille videtur ad hanc bacchantium imaginem pertinere.

15. VENVS.

Hic eximius varius lapis tum propter artem, tum propter abditum ſenſum in figura Veneris pretioſiſſimus videtur, ſervaturque inter gemmas Eminentiſſimi Principis Cardinalis Virgilii Vrſini. Sed in hoc nihil mihi reſiduum fecit erudita explicatio Bartolomei Ginii ſummo huic viro ab ſecretis; qui quum ſit Muſarum candidatus, in ætate ſua etiam juvenili ab eiſdem accipit ſuffragium ingenii ad claritatem nominis ſui. Itaque cujus doni ille me participem fecit, id hîc collocandum putavi. Si quis in unum colligere vellet omnia ea, quæ ab myſtica antiquitate de Venere ſunt ſcripta, dubium non eſt, quin brevi videret repletum non exiguum volumen; quoniam ſive vertatur oculus ad fabuloſas poetarum inventiones, ſive conſiderentur varii gentium cultus, exiſtit celeberrima & clariſſima; adeo ut etiam abditiſſima philoſophiæ ipſius arcana non tacuerint de ea. Mihi autem non eſt animus hanc rem ſuſcipere, tanto magis, quod hic ſit alienus locus. Sed ſufficiet nunc delibaſſe quaſdam eruditæ antiquitatis partes, relictis aliis multis, quarum ope explanetur aliquo modo ſenſus nobiliſſimi hujus varii lapidis. Venus culta fuit, ut Dea amorum; qui licet infiniti numero habiti fuerint, ut monſtrat Statius Epithal. Stellæ & Viol.

Ful-

Fulcra torosque Deæ tenerum premit agmen Amorum,

& Claudianus de nuptiis Hon. & Mar.

Mille pharetrati ludunt in margine fratres
Ore pares, ævo similes, gens mollis Amorum;

Nihilominus reliqui omnes sunt filii Nympharum, at duo soli Veneris, exhibiti per duos pusiones, qui conspiciuntur in hoc vario lapide. Primus ex ea & Mercurio natus, appellatusque Cupido, Deus amandi. Secundus ex Marte & nominatus Anteros, numen, ut quidam auctores putant, amori contrarium, licet alii velint esse mutui amoris Deum. Unde ab Ovidio in Fastis Venus appellatur *geminorum mater amorum*, & Seneca Hippol.

Diva non miti generata ponto,
Quam vocat matrem geminus Cupido.

Veneri adsignatas esse sagittas, non est novum. Mihi tamen videtur requirere hoc ipsa elegantia, ut mysterium numeri earum investigem: quippe si dicerentur esse solum duæ, dici posset eas esse, quarum meminit Ovidius in primo libro Metamorphoseon, ex quibus una aurea conciliet benevolentiam & affectum, altera ex plumbo causetur fastidium & contemptum.

Deque sagittifera promit duo tela pharetra
Diversorum operum: fugat hoc, facit illud amorem,
Quod facit, auratum est & cuspide fulget acuta:
Quod fugat, obtusum est, & habet sub arundine plumbum.

Sed

Sed quum ſint tria ſpicula, hoc eorum numero videtur mihi explicari ſententia Platonis, qui cenſet tria genera Amorum reperiri: *Unus divinus cum incorrupta mente & virtutis ratione conveniens. Alter degeneris animi & corruptiſſimæ voluptatis. Tertius ex utroque permixtus.* Primus rationis proprius, occupatus in honeſto, & univerſus purus, bonus & plenus dulcedine propter poſſeſſionem illius boni, unde maxime perfectus fit animus humanus. Secundus huic contrarius, & proprius ſenſuum, id unum agit ut nanciſcatur id, quod effrenato cum impetu deſiderat: unde fit impurus & pleniſſimus infinitarum amaritudinum, ſequuntur eum varii dolores & jacturæ & ſuper omnia pudor ac pœnitentia. Tertius eſt Amor ille, qui medius velut inter horum duorum naturas intercedens, nec ſic declinat ad honeſtum, ut penitus excludat volupe; nec ſic dominari in ſe patitur rationem, ut prorſus ſenſui deneget ſuas voluptates: ita ut hoc modo mixtus producat operas cauſis ſuis congruas: det gaudium & dolorem, riſum & luctum, dulce & amarum, prout connexus eſt vel rationi vel ſenſui. Omne hoc ingenioſe probatur ab Claudiano, qui ſub poetica allegoria proferens hanc Platonis opinionem, ſcribit in poematio de nuptiis Honorii & Mariæ, quaſi in horto Veneris

Labuntur gemini fontes, hic dulcis, amarus
Alter & infuſis corrumpit mella venenis.
Unde Cupidineas armavit ſama ſagittas.

Ita ut ſi ſagittæ amorum temperentur in his fontibus

liquorum dulcis, amari & mixti, prout oſtendit clare verſus iſte poſtremus, liquidiſſima ratiocinatione ſequatur, Veneris ſagittas eſſe trium generum (plane ut conſpicitur in hoc vario lapide) ex quibus deinde unaquæque in animos inſtillat & fundit cum affectibus amoris eas qualitates, quas ipſæ ex eo liquore, cui fuerunt intinctæ, & unde ipſis aliquid adfuſum eſt, adſumpſerunt. Stat autem ſiniſtra manu innitens palo, circa quem volvitur vitis onerata uvis; dextra autem monſtrans ſagittas: innuere volens Venerem caſuram, niſi Bacchus eam ſuffulciret; neque fore ut poſſet expedire arma ſua, niſi hic ſubminiſtraret vim vigoremque, quoniam *Vina parant animos Veneri.* Itaque etiam Cupido extendit manus ad colligendas uvas, quia vinum, quod efficit ſpiritus vividiores & membra vegetiora, ex opinione Achillis Tatii lib. 2 eſt *amoris pabulum.* Præterea Venus tenet ſpicas, quia frumentum illi immolabatur, cujus cauſam dat Suidas, *quia elixum frumentum excitat ad Venerem.* Vel etiam nuditatem ejus, ſpicæ & uvæ ſignificant, quippe *ſine Cerere & Libero friget Venus.* Sed ut tranſeamus ad nobiliores hujus Deæ contemplationes, ſpicæ & vitis repleta uvis demonſtrant plane Venerem eſſe eandem Naturæ producenti & conſervanti res ſingulas. Apulejus lib. 2. *En adſum tuis commota, Luci, precibus rerum Natura parens.* Et mox. *Me fluctuantes Cyprii Paphiam Venerem appellant.* Etiam ab Lucretio hæc eadem conſiderata fuit, quaſi eſſet poteſtas efficacior quam natura.

Ænea-

Æneadum genitrix, hominum divumque voluptas,
Alma Venus.

& ſtatim.

Quæ quoniam rerum Naturam ſola gubernas.

Sit igitur Venus aut Mens gubernans naturam, aut numen quoddam velut idem ipſi Naturæ: conſtat ſatis eam per omnia & in omnia diffundere ſuam vim, & ſicut loquitur citatus ſtatim auctor

per maria & montes fluvioſque rapaces
Frondiferaſque domos avium, campoſque virentes
Omnibus incutiens blandum per pectora amorem,
Efficit, ut cupide generatim ſecla propagent.

Quoniam vero ad hanc propagationem rerum, præter cætera præcipue utitur Sole & Luna, velut primariis inſtrumentis, adjuvante eam altero per calorem, altera per humorem; hinc eſt, ut duo illi planetæ adumbrentur per uvas & ſpicas, & Sol intelligatur per Bacchum, Luna per Cererem, quo modo colligit Macrobius, qui large diſſerit de horum Deorum naturis, & Virgilius in Georgicis, quum invocans Solem ac Lunam non aliis appellationibus eos afficit, quam Bacchi & Cereris,

Vos o clariſſima mundi
Lumina, labentem cælo quæ ducitis annum,
Liber & alma Ceres.

Porro fingitur Venus corpore juvenili, ad notandum fervorem ac promptitudinem agendi, quæ ineſt na-

turæ ad renovationem & propagationem individuorum, quum juventus sit ætas supra reliquas idonea ad generandum. Etiam nuda, quoniam tunc ista Dea apparet formosior, quum non est tecta, & quum humanus intellectus ope contemplationis tollit quasi velamentum corpori bene ab natura fabricato, hoc est, se jungit per sermocinandi interventum cognitioni causarum occultarum. Tenet insuper manu spicas & uvas, ut indicet duas tempestates æstatem & autumnum, in quibus videtur plus, quam in aliis hæc magna Mater occupari ad munera sua generi humano effundenda. Ad has considerationes me duxit mixta hujus Deæ imago. Nihilominus confido fore, ut pulchritudo ejus inveniat novum Parin, non tam corporis judicem, sed spectatorem melioris ac beneficæ formæ.

16. VENUS MARINA.

Venus insidens capræ marinæ, velociter currit per mare, sublevans dextram inque ea ramum myrteum. Prope sequitur Amor in aquis, stimulat & impellit capram ad cursum, alludens ad Venerem, quæ in omnibus partibus capricorni delectatur amoribus amatque jocos ac delicias. Censerem quoque hanc esse unam ex nymphis, matrem Amorum, sicut videtur placere Philostrato esse earum filios: ac Nereides in variis monstris marinis, tigribus, leonibus, tauris, arietibus & capris conspiciuntur in antiquis marmoribus fictæ ab sculptoribus, & descriptæ ab poetis, unde Statius:

Nec

Nec non & variis vectæ Nereides ibant
Audito rumore feris: hanc pisce volutam
Sublevat oceani monstrum Tartessia tigris,
Hanc timor Ægæi rupturus fronte carinas
Trux aries, hæc cæruleæ suspensa leænæ
Innatát, hæc viridem trahitur complexa juvencum.

Claudianus inducit unum modo Amorem filium Veneris, qui sagittis petit Deos regesque, vultque, ut alii nati ex nymphis feriant vulgus plebejum: simile indicabimus numero 20 in imagine Geniorum. Sic Nymphæ & Deæ maris & ipsa Venus insidentes Tritonibus & marinis monstris sculpi solebant, ex opinione eorum, qui principium rerum statuebant humorem. Valde vellem, ut affirmare possem, hac imagine exhiberi capricornum cum Amalthea, ab Jove inter stellas relata propter nutrimenta.

17. NEREIDES.

In proxima imagine satis dictum est de Nymphis & Nereisin, ita ut nunc nil nisi laudanda sit præstantia sculpturæ.

18. HERMAPHRODITUS.

Hermaphroditus jacens fingitur ad similitudinem Veneris matris suæ cum Amoribus, quorum unus pulsat lyram, alter inflat calamos syringis, tertius cum ventilabro concitat auras & auget somnum. Quanquam in illis primis & puris Romanorum moribus Hermaphroditi habiti fuerint pro monstris, &

inter prodigia abjecti, tamen postea locum acceperunt inter delicias, ut scribit Plinius, post admissa Romam vitia Asiaticorum & Græcorum, qui statuas inde & imagines fabricarunt. Exstat epigramma Philippi in statuam Hermaphroditi, quæ erat in balneo, portans in nomine & in corpore duplicem naturam Mercurii & Veneris parentum suorum, in hanc sententiam.

Viris Mercurius sum, mulieribus vero Venus videor,
Utriusque enim fero symbola mihi parentis.
Propterea non absurde me Hermaphroditum posuere
Viris & mulieribus communi lavacro filium ambiguum.

Alia statua marmorea Hermaphroditi ad vivum & delicatum facta videri potest Romæ in villa Borgesiorum, jacetque incurvato pectore & capite super collecta brachia, revelans humeros, nates, mammas, ac universo præterea corpore nudo, sed & neutra ex naturis abscondita.

19. LEDA.

Captus Jupiter amore Ledæ, conjugis Tyndarei Laconum regis, ad potiendum ea, vertit se in cygnum, & sic ludens cum illa fruitus est amore, ut notum ex fabulis, & hæc imago demonstrat, velut exprimens sententiam sequentis distichi.

Aspice, Leda Jovem ficta sub imagine cygni
In gremio falsam credula fovit avem.

La-

Lapis, ex quo pulchrum hoc ectypum haustum est, custoditur inter gemmas Illustrissimi & Excellentissimi Flavii Ursini Ducis Bracciani, qui fulget non modo luce & altitudine natalium, sed etiam variis simul ornamentis nobilissimi sui ingenii. Unde huic labori pretium extenditur ex pluribus variis lapidibus, petitis ex divite illius dactyliotheca, excellentissimis argumento & sculptura, quorum dignatus est mihi indulgere usum.

20. GENII VENATIO.

In hac sculptura exhibetur lusus venationis Amorum, qui exstimulant canes in duos cervos, vulpem & aprum. Similes lusus infantium alatorum sculpti sunt in vasibus & marmoribus antiquis, non modo illis, quæ pertinent ad Venerem & Bacchum & Nymphas, sed ad luctas, venationes, cursus navium, bigarumque & quadrigarum in circo, quorum aliqua profert Panuinius in libro de ludis circensibus. Sed & sine consideratione horum præbetur his aliqua lux ab Martiale in epigrammate, quod inscripsit de ludo puerorum cum juvencis: unde colligitur lusus tales puerorum fuisse in usu, eosque cucurrisse in circo super tauros mansuefactos ad hoc ab ferarum dominis, qui domabant tigres, leones, pantheras, instituebantque ut traherent currus, in quibus videmus aurigas esse pueros sic sculptos in habitu Amorum. Hæc contemplatio posset in hac nostra imagine prævalere, nisi aliter Philostratus persuaderet in elegantissima illa Amorum pictura, jocos eorum referens

ad

ad ſenſum naturalem, & concludens varios eſſe genios præpoſitos naturæ humanæ in omnibus affectibus, ut declarabitur in proxima imagine.

21. JOCUS GENII.

Joci horum puerorum delineati ſunt in pulcherrima maſſa vitrea coloris amberini, quæ exſtat in muſeo antiquitatum Jo. Petri Bellorii. In ea exprimuntur luctatores & pugiles, demonſtrantes variis modis motus tenerorum membrorum in ſtringendo ſe invicem & prehendendo brachiis, & percutiendo manibus. Sic videlicet pueri adſueſcebantur exercitiis in gymnaſio, atque adeo unus illic apparet fictus quaſi gerens officium progymnaſtæ & magiſtri, cum virga adſiſtentis illi, qui victus labitur. Similem progymnaſten vidimus in prima parte, num. 146. Præterea ſunt illic præmia victoribus poſita, unoquoque ſe incitante ad gloriam, dum alter portat coronam & palmam. Duabus pilis impoſita ſunt alia præmia, vas nimirum aliquod ex illis, quæ ſolebant dari in ſacris certaminibus Olympicis & Pythiis, & ſagitta cum arcu, donum ſane congruum Amoribus. Eſt & alius, qui ducit gyrum, & ante apparet vas non quidem productum in præmium, ſed videtur plenum liquoris, quum prope adſtet alter, qui implet poculum ad bibendum. Ludi & exercitia iſta puerorum celebrabantur Olympiæ, inſtituta poſt ætatem Phidiæ ſculptoris, qui ſimulacrum Jovis Olympici fecit, ut annotat Pauſanias, qui etiam prodit quaſdam memorias ac ſtatuas puerorum, qui adepti fuerunt palmas

vel

vel cursu vel lucta vel commissione cœstuum. Hic vero sunt expressi omnes nudi ad speciem Amorum cum alis, forsitan ad significandum genium, qui necessario requiritur in quocunque & quacunque disciplina tam animi quam corporis.

Ad hanc opinionem commoveor imagine Philostrati non minus suavi & elegante, quam docta, ubi inter alios ludos depinguntur varii luctatores, & quum venit ad explicandam imaginis mentem, ait multos esse Amores Nympharum filios, qui regant omne mortalium genus, eosque esse multos, quia multæ etiam sunt res hominibus placentes; amorem vero cœlestem in cœlo occupatum esse rebus divinis. Hi igitur ex sententia Philostrati sunt Amores & genii humani, & cum eo consentiunt poetæ. Quippe Silius Italicus describit integrum exercitum volantem per cœlum.

Mittit se cœlo niveis exercitus alis.

Statius quoque turbam circa lectum Veneris, quæ hanc comitetur.

Fulcra torosque Deæ tenerum premit agmen Amorum.

Claudianus vult unum ex Venere natum, qui Deos regesque sagitta petat, alios autem esse filios Nympharum, & ab eis feriri plebem hominum per res amatas, quæ omnia cum Philostrato conveniunt.

Mille pharetrati ludunt in margine fratres
Ore pares, habitu similes, gens mollis Amorum.

Hos Nymphæ pariunt, illum Venus aurea ſolum
Edidit, ille Deos cælumque & ſidera cornu
Temperat, & ſummos dignatur figere reges,
Hi plebem feriunt.

22. VENATIO.

In venationibus, quas Romani Imperatores exhibebant populo in ludis circenſibus, in arenam prodibant omne genus & ingens numerus ferarum, urſi, leones, tigres, elephanti, & animalia maxime peregrina, quæ vel in dies & ſeparatim ſpectaculum præbebant multa ejuſdem generis, aut univerſa ſimul confuſeque committebantur, ut conſpicitur in hac ſculptura, ubi & beſtiarii in equis. Cui rei illuſtrandæ prætermiſſis multis ſcriptorum locis, adferemus illum ſolum ex Dione de talibus ludis ab Nerone celebratis, ut ſic deſcribatur hæc imago. Exhibuit Nero ſpectaculum, in quo viri in equis magna curſus velocitate impetebant tauros, eos occidebant, & ab equitibus, ſatellitibus ipſius, haſtis transfixi fuerunt quadringenti urſi & trecenti leones. Sculptura ipſa, quæ facta eſt in ſardio, & ex dactyliotheca Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Flavii Ducis Bracciani, triplo grandior circiter eſt, quam hæc imago, & aliquanto magis. Nec mirum videri debet, quod in ea conſpiciatur arbor; quoniam circus maximus etiam arboribus ornabatur, ut illic ad ſpeciem ſilvæ venatio ferarum inſtitueretur, prout legimus præcipue apud Vopiſcum in vita Probi.

23. MUTIUS SCAEVOLA.

Celeberrimum est Mutii Scævolæ factum, quo nobilitatum fuit nomen Romanum; cujus memoria etsi in prima parte cum ejus imagine exhibita fuerit, tamen hîc melius exprimitur ejus intrepida fortitudo coram rege Porsenna, firmiter tenentis dextram in ardentibus flammis cum stupore & terrore hostium. Hæc præclara sculptura in agate exstat penes Innocentium Ferrarium, qui in cognitione elegantiarum antiquarum, numismatum, & sculpturarum & variorum lapidum, denique omnium deliciarum peregrinarum optime versatur usu multorum annorum & familiaritate doctorum hominum: quum interim ex illis nobilibus reliquiis, quæ quotidie ad eum veniunt, locupletet thesauros & musea principum & illustrium hominum tam Italorum quam exterorum cum voluptate & favore omnium.

24. TRAJANUS.

In hoc præclaro vario lapide effingitur Trajanus, expugnans aliquem e populis Germaniæ, in qua provincia erat, quum adoptaretur & vocaretur ad imperium ab Nerva, cum titulo Cæsaris & Germanici. Similis figura equestris exhibetur in numismate ejus, ubi pro Germano conculcat Dacum, ad significationem victoriæ Dacicæ. De moribus Germanorum refert Tacitus, eos incessisse nudos, tantum sago se velantes per fibulam alligato vel etiam spina, ut apparet ex hac figura, quæ portat sagum nodatum circa collum, omnibus aliis partibus nudis manentibus. Quin

etiam caput galea abſcondit; & hæc ſunt verba Taciti, loquentis de peditibus: *Nudi aut ſagulo leves, nulla cultus jactatio, ſcuta tantum lectiſsimis coloribus diſtinguunt, paucis loricæ: vix uni alterive caſſis, aut galea.* Et poſtea ſequitur: *Tegumen omnibus ſagum, fibula aut ſi deſit, ſpina conſertum.* Quod ad reliqua attinet, ex humerali equi Imperatoris, quod ex pelle factum, prodit caput tigris minacis faucibus apertis, & quaſi morſuræ. Id horridum ornamentum facit ad terrendos hoſtes & in aliis quoque exhibentur urſi vel leones. Etiam hæc pretioſa gemma benigne mihi ſuppeditata eſt ab Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Flavio Urſino, Duce Bracciano.

25. PVGNA:

Ex his alter eſt Germanorum aliquis, totus nudus & ſine ſago, quia ut refert Tacitus, *nudi aut ſagulo leves.* Figura equeſtris refert aliquem ex centurionibus Romanis.

26. GLADIATORES.

Poſtquam gladiatores occidiſſent in arena adverſarios, eos ſublevabant à terra ad fidem & teſtimonium præbendum victoriæ, oſtendebant populo, qui illis applaudebat, ut exprimitur in hac imagine victor ſublevans victum mortuumque & ſpoliatum omnibus armis, in humerum attrahens eum nudum ab terra, ubi genu connititur. Retinet modo ille ſcutum & gladium. De hoc more oſtendendi victum populo in

pignus

pignus victoriæ loquitur Scholiastes Juvenalis ad hunc versum satiræ 3

Pinnirapi cultos juvenes juvenesque lanistæ.

Pinnirapos autem dicit lanistas ex habitu gladiatorum, quia post mortem retiarii pinnam, id est, manicam rapit, ut ostendat populo se vicisse. Gladiatores bini committebantur, & dicebantur *gladiatorum paria.* Arma eorum erant galea, scutum & sica, hoc est, gladiolus & brevis ensiculus. Hæc imago ducta est ex gemma Illustrissimi & Excellentissimi Lælii Ursini Principis Nerulæ.

27. ARISTOMACHVS.

Hic omnem vitam philosophari cupiens de natura apium, eam in observandis earum moribus & mirabilibus operibus consumpsit, spatium LXII annorum, librosque scripsit de stupenda earum indole & ingenio, de quo cecinit Virgilius.

Esse apibus partem divinæ mentis & haustus
Æthereos dixere.

Sic præclare & ad vivum fere videmus exprimi hunc philosophum intentum contemplationibus apium, assidentem iis & fixum in spectandis alvearibus, ut solebat ille adsiduus esse in spectanda earum vita & affectu. Atque inde fuit creditum, eum captum fuisse earum amore. Meminit ejus Plinius & Philiscus Thasius, qui etiam celebratus fuit apium amator, habitans in de-

ſertis, unde etiam cognominabatur agreſtis vel ſilveſtris, ut quidem Plinius concipit indicem capitis IX libri XI hiſtoriæ naturalis de amatoribus apium. *Ne quis miretur amore earum captos Ariſtomachum Solenſem duodeſexaginta annis nihil aliud egiſſe. Philiſcum vero Thaſium in deſertis apes colentem Agrium cognominatum, qui ambo ſcripſere de his.* Idem quoque confirmant Cicero & Ælianus. Hæc ſculptura in ſardio hodie poſſidetur ab Nobiliſſimo & Humaniſſimo D. Sunderland, Pari Angliæ, qui in itinere ſuo Romam verſus cum meo ſummo honore dignabatur oculos ſuos ponere ad cognoſcendas notabiles antiquitatis reliquias, quas domi meæ ſervo & inprimis in mea dactyliotheca, unde ego non tam præclaris tanti viri moribus addictus vivo, quam admiror ingenium & eruditum ejus acumen circa res lectiſſimas & peregrinas.

28. HERACLITVS.

Heraclitus Epheſius ſemper dolebat, quoties domo exibat, & admirabatur res humanas, conſiderans veriſſime, quam unuſquiſque homo in qualicunque fortuna, ſit plenus miſeriarum & perpetua materia graviſſimorum incommodorum. Ejus opinio fuit principium mundi pendere ab igne, & calorem eſſe, qui animaret hoc univerſum ad rerum generationem; unde in luctum ejus luſimus his verſiculis.

Quid miſeram fletu comitaris, Heraclite, vitam?
Fletibus adſiduis parcere diſce tuis.

Ne

Ne lacrimis ignes extinguas ſemina rerum,
Et ſine principio cuncta repente cadant.

In altera parte hujus varii lapidis exſtat effigies Democriti.

29. DEMOCRITVS.

Democritus Abderita, contra quam Heraclitus, ridebat res humanas. Hic vivens & philoſophans in hortulo non frequentabat civitatem, ne ſtultitiam hominum videret. Quum vero audiret procellas & mutationes fortunæ vel felicis vel contrariæ, in riſum ſolvebatur, velut ob res ridiculas, quæque ſtolidis accidant, & talis nunc exhibetur. Quia autem opinio ejus fuit, mundum fuiſſe compoſitum ex infinitis atomis, ludamus etiam in riſum hujus.

Stultitiam humanæ rides, Democrite, vitæ,
Et curas hominum riſibus aſſiduis.
At riſus moderare tuos, & ſiſte parumper,
Innumeros donec dinumeres atomos.

30. ALEXANDRIA.

Figuram ſedentem in ripa fluminis opinor eſſe Genium Alexandriæ in Ægypto in habitu mulieris; innititur cubito ſuper caput Nili, una manu ſceptrum tenens, alteram deponens in panario vel calatho pleno frumenti, cum tribus eminentibus ariſtis in typum fertilitatis ejus regionis. In vertice habet pro inſigni cidarim vel ſacram mitram, cum flore loti, in humeris

meris parvam chlamydem vel humerale virgatum, quale obſervatur in figura Ægyptia Spei, uſitatæ quoque Romanis Imperatoribus in numiſmatibus. Poſt Nili caput eſt ſcorpio cæleſte ſignum, quando menſe Novembri finita inundatione, quæ operuit campos, & Ægypti regione limo pinguefacta ſemen in ipſius horoſcopo fit fæcundiſſimum. Puer, qui ſe quaſi admovet, & manum ponit ſuper panarium, ſignificat alimenta frugum vitæ neceſſaria. Et ſimile conſpicitur in figura Annonæ in nummis, nempe puer, ut prope eam pateat vas cum frumenti ſpicis. Non longe abſunt tria ædificia, quæ etſi optime referri poſſint ad tria templa conſecrata Iſidi, Oſiridi, Harpocrati, aut alteri Ægyptiorum numini, cum flore loto in culmine, qui erat ſacer: nihilominus non erit abſurdum & ab vero alienum, ſi dicamus eſſe tria horrea vel granaria Alexandriæ. In aqua apparent triremis & navis oneraria; quoniam nobilis ille portus ita ſitus eſt, ut ab latere ſeptentrionali habeat Ægyptium mare, ab meridie lacum vel Mareotin, quæ repletur ex Nilo. Memorat Strabo hunc portum opulentia ſua & opportunitate anteire omnes alios portus totius orbis, utpote idoneum maxime ad res maritimas, & ſimul commodum ad merces ex regione evehendas occaſione fluminis, & per hunc lacum multitudine & opulentia mercium alteri maritimo portui fuiſſe præpoſitum. Inſuper etiam exhibentur in hac imagine varia animalia, non tam fluviatilia & peregrina Ægypti, ſed valde communia & familiaria uſibus humanis, equus, bos, oves, cervus, cum paſtore, quibus indicantur armenta & paſcua & opulentia regionis.

Etiam

Etiam ab postico se ostendit crocodilus, qui videtur aut sculptus aut depictus in mensula, quod animal symbolum est Nili vel Ægypti, & sacrum existimatum. Et hæc dicta sint ob figuram Alexandriæ. Quod si quis per scorpionem velit indicari Africam, & per caput cum prolixa barba & crinibus Oceanum & mare Libycum, & frumentum aliaque symbola referre ad fertilitatem ipsius Africæ; non ulterius huic rei immorabor, relinquens unumquemque expositioni suæ & sententiæ. Cæterum hæc egregia sculptura in lapide cyaneo numeranda est inter pulcherrima vetustatis vestigia: ego autem hic illam inserui ad augendum gemmarum mearum splendorem, & ad illuminandum hoc opusculum nomine Eminentissimi & Reverendissimi Principis Cardinalis Leopoldi Medicei, Principis, qui patrocinio suo excitat conspectiora ingenia & doctissimas Academias non minus, quam eo, quod & ipse generosum suum animum pascit & oblectat in sublimioribus studiis & amore antiquitatis eruditæ: ita ut maximum meum decus sit, quod dignus habear, qui genio tam gloriosi Principis in hac re serviam.

31. FORTVNA ANTIOCHIAE.

ΑΛΕΞΙΤΥΧΗ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ, hoc est, Fortuna ab malis conservans Antiochenos. Id cognomen sæpe attributum fuit Apollini & Herculi, Geniis & Diis ἀλεξικάκοις: quia credebant illos averruncare res noxias; sicut alter sagitta petit Pythonem, alter occidit feras & monstra. Pausanias citat Pindarum, qui

Fortunam cognominaverit φερέπολιν, tuentem civitates, legiturque apud Goltzium ΤΥΧΗ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΝ, & apud Triſtanum, ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ ΤΕΡΕΒΕΝΤΙΝΩΝ ΚΑΡΧΕΔΩΝ Bona Fortuna Terebentinorum Carthaginienſium. Cæterum Fortuna conſpicitur ea forma, qua Bupalus ſculptor ſtatuam ejus fecit Smyrnæis cum polo in vertice, & cornu Amaltheæ ad declaranda Fortunæ bona. Clavus cum globo fuit ei attributus ab illis, qui credebant eam gubernare univerſum hoc, & eo modo frequenter ſculpta occurrit in numiſmatibus & in ſtatuis, atque etiam cum clavo depingebatur Fortuna Redux. Nihilominus hæc ſculptura in heliotropio præclarior eſt & notabilior ideo, quod ab utroque latere ſculpta eſt cum ſequente imagine: ipſa autem dimidium habet magnitudinis, qua expreſſimus imaginem.

32. CIRCULATOR.

ΕΥΤΥΧΙΑ ΜΑΡΚΕΛΛΕ ΕΙΡΗΝΗ. Bona Fortuna Marcello, Pax. Videtur hic Marcellus fuiſſe Antiochenus, & hanc teſſeram vel ſymbolum illi datum fuiſſe ab aliquo amico ejus vel amica, optante illi bonam fortunam, tutelam, pacem, ac proſperitatem. Inveniuntur gemmæ annulorum cum literis cavis & exſtantibus, cum eodem augurio bonæ fortunæ ſine ulla imagine, ſed ſolis vocabulis. Legitur in onyce literis candidis elevatis ΕΙΡΗΝΗ ΕΡΩΣ, Pax & Amor. Ejuſmodi erant annuli, qui ab amantibus donabantur in pignus amoris & fidem, de quibus elegiam commentus eſt Ovidius, quæ ſic incipit.

An-

Annule formosæ digitum vincture puellæ,
In quo censendum nil nisi dantis amor.

In ejus fine:

Irrita quid voveo? parvum proficiscere munus;
Illa datam tecum sentiet esse fidem.

Hi annuli servabantur cum cura & quadam zelotypia, ne ab ullo unquam viderentur, ut colligitur ex Plauti Asinaria in pactis juvenis illius,

Spectandum ne cui annulum det, neque roget.

Illos vero annulos, in quibus simpliciter amicis precabantur pacem & bonam fortunam, credibile est datos fuisse, quum peregre proficiscerentur, ut solebant tunc felicia omnia precari; quando etiam illis dabatur ectypum faciei, ut ex Senecæ auctoritate conatur probare Tomasinus in libro de tesseris: *Amicos peregre abeuntibus imaginem suam donasse indicat Seneca cap.* 40, *quam sine dubio circumferebant in annulo.* Jam igitur venienti mihi ad expositionem hujus figuræ videtur hic esse posse unus ex circulatoribus, quos conducebant propter mansuefactas feras ad voluptatem populi, & ad lucrum inde colligendum. De tali loquitur Apollonius Tyaneus apud Philostratum, inducens leonem, in quo erat anima regis Amasios, eratque aliquis Ægyptius, qui illum monstrabat, ducens eum ligatum, non secus ac mansuetissimum canem: unde hic leo non modo blandiebatur suo rectori, sed cuicunque occurrenti. *Vir quidam leonem man-*

ſuefactum ex loro veluti canem, quocunque volebat, ducebat. Leo autem non modo ipſum, qui ſe ducebat, blandiebatur, ſed cæteris omnibus, qui obviam acceſſiſſent. Tali modo vir mercedem quærens. Nihilominus verius mihi videtur hanc imaginem exhibere quendam ex ferarum magiſtris, qui eas domabant, docileſque & idoneas reddebant ad ſe accommodandum ludis, & ad trahendas redas jugo alligatas, ut ſic oblectaretur populus in theatro: tales vero erant tigres, pardi, apri, urſi, leones, & elephanti, de quibus agit Martialis in lib. de ſpectaculis

Picto quod juga delicata collo
Pardus ſuſtinet, improbæque tigres
Indulgent patientiam flagello,
Mordent aurea quod lupata cervi,
Quod frœnis Libyci domantur urſi,
Et quantum Calydon tuliſſe fertur,
Paret purpureis aper capiſtris,
Turpes eſſeda quod trahunt biſontes,
Et molles dare juſſa quod choreas
Nigro bellua nil negat magiſtro,
Quis ſpectacula non putet Deorum?

Et in alio epigrammate de leone, cujus initium eſt,

Verbera ſecuri ſolitus leo ferre magiſtri,
Inſertamque pati blandus in ore manum.

Noſter morio vel, ſi ita volumus, magiſter urſi altera manu admovet flagellum, altera tenet eſcam, duo fruſta carnis, incitans eum verberibus & ſimul ineſcans

ac

ac ſollicitans ad ſaltandum & ludos præbendos ac ſaltus. Brachium alterum habet nudum, alterum faſciis vel cingulo coriaceo circumvolutum vel etiam ferreo ad ſe muniendum contra ungues feræ in acceſſu ad eſcam. Etiam cinctus eſt circa ſtomachum & inferiores partes tibiarum & pedes cum caligis quas vocabant reticulatas, de quibus loquitur Trebellius Pollio in Gallieno. *Caligas gemmatas annexuiſſe dicitur, cum campagos reticulos appellaret.*

33. MITHRA.

Romæ in diverſis locis reperiuntur tabulæ marmoreæ antiquæ cum inſculpto Deo Mithra Perſarum, in habitu ferientis proſtratum taurum, per quod allegorice innuitur virtus ſolis ſuper terram & fæcunditas univerſæ naturæ, quum idem ſit Deus Ægyptiorum Oſiris, qui Perſarum Mithra, ut eleganter deſcribit Statius:

ſeu te roſeum Titana vocari
Gentis Achæmeniæ ritu, ſeu præſtat Oſirin
Frugiferum, ſeu Perſei ſub rupibus antri
Indignata ſequi torquentem cornua Mithram.

Dicimus igitur bovem projectum eſſe ſymbolum terræ, in quam penetrat radio ſuo Sol, eamque fæcundat. Eſt autem ipſe Sol effictus eo modo, quo ab ipſis Perſis adorabatur ſub nomine Mithræ, & cum pileo in capite ex more ejus gentis & ſuccincta veſte, qualis deſcribitur ab Luciano in concilio Deorum. *Mithras ille Medus, qui indumento Perſico amictus ac tiara redimitus*

dimitus est. Verum Lutatius Statii interpres censet taurum esse primum cæleste signum, ab sole calcatum ac pressum tempore verno, & per cornua taurina intelligi lucem, quam luna ab eodem sole accipit, qui fingitur capite leonino, qualis conspicitur in aliquo marmore. *Mithræ simulacrum fingebatur reluctantis tauri cornua retentare, quo significabatur lunam ab eo lumen accipere, cum cœperit ab ejus radiis segregari. Erat enim sol leonis vultu cum tiara, Persico habitu, utrisque manibus bovis cornua comprimens; siquidem sol principale signum inculcat & premit, leonem scilicet, ideo quod hic Deus cæteros sui numinis & potentiæ impetu excellat, ut inter reliquas feras leo, vel quod sit rapidum animal.* Quidquid sit, sane possunt omnia illa per taurum significari & cœleste signum, & luna, & terra, pariter ad generationem res concurrentes & inservientes; unde in pulcherrimo marmore villæ Borgesianæ in urbe Roma ex cauda bovina prodeunt foras duæ spicæ frumenti jam maturæ, quæ non apparent in nostra imagine. Ergo calcat Deus Mithra & genu premit illud animal, & manu altera tenet alterum cornu, altera vero stringit sicam, & percutit dorsum; quo indicare voluerunt solem in signo tauri mense Aprili aperire gravidam terram, & calore suo educere & foras protrudere semina ad rerum proventum. Quoniam vero mense Octobri post maturitatem frugum, sole versus scorpionem declinante, semina amisso vigore propter frigus concluduntur denuo ad colligendam fœcunditatem in visceribus terræ, hic effectus significatur per scorpionem, qui se adjungit genitalibus tauri, seque admovet virtuti fœcundæ.

cundæ. In marmore Borgesiano perspicue videtur scorpio supra tauri genitale membrum, & eo amplius, etiam cancer sub testiculis, quia in hoc signo mense Junio sol incipit ad similitudinem hujus paulatim se removere a nobis, & virtus solis tempore verno in Tauro diffusa incipit deficere in Cancro, & prorsus in signo scorpionis contrahitur ac diminuitur, de quo videndus Macrobius in Saturnalibus. Et propterea in eodem marmore sculpta est ab uno latere fax, quæ sublevatur in aerem, prope caput Tauri; ab altero latere alia fax declinat versus terram juncta scorpioni. Sed ut persequamur alia hieroglyphica & figuras in nostra imagine expressas ex ritu magiæ naturalis Persarum, cujus princeps fuit Zoroastres, eodem modo videmus testudinem post taurum, quæ innuit tardum motum hiemis, & canem, qui procurrit ad cruorem tauri percussi lambendum, eoque significat alimentum animalium terrestrium, sicut per delphinum intelligi possunt aquatica. Hinc & inde recti in pedibus stant duo adolescentes pileati, quorum unus foras emittit semen ex genitali membro, quo notatur principium agendi, motus & forma generationis; alter una manu monstrat vel tangit proprium sinum apertum a veste & nudum, per quem notatur fœmina in conceptione, concludens & fovens semen, estque principium passionis & materia: id quod hæc perficere nequit sine calore, quem ab superiore parte accipit, expressum in flamma, quam tenet alia manu in altum elata. In quibus figuris deprehenditur esse apud eos convenientiam aliquam inter mysteria Attidis & Mithræ, quia utraque explicabant virtutem solis caloremque,

remque, & conſpiciuntur nonnullæ figuræ & icunculæ Attidis cum ſinu veſtis aperto, forſan denotantes geminam ejus naturam, eaque veſtis omnino eſt huic noſtræ perſimilis, cum pileo Phrygio, tantum non ejuſdem formæ Perſico. In ſummo poſitum eſt caput ſolis radiatum, & uno latere conſpicuum, cum virga ab poſtico, qua ſolet ille equos ſuos concitare ad curſum, vectus velociſſime & calore ſuo herbas, plantas & animalia vivificans. Ex adverſo adſpicit lunam, quæ nocturno ſuo humore & incrementis humectat & influit in res omnes, temperatque ſiccitatem & calorem ſolis, unde oritur harmonia & temperatio univerſi. Sed conjunctio eorum apparet inferius in alia facie ſolis rotunda & radiata cum luna bicorni, quæ illam infra cingit, & ab Ægyptiis vocata conjunctio Iſidis & Oſiridis, hoc eſt, temperamentum naturale juſtaque & æqua conjunctio calidi & humidi. Superſtant ſeptem ſtellæ, ſeu ſunt planetæ ſive æther cum fulmine Jovis: quia cœlum ſua infuſione inſpirans terram promovet fertilitatem. Per caduceum Mercurii aer intelligitur. Sagitta notat amorem voluptatemque, quam capit in animalibus genus ſuum propagantibus, prout deſcribit Lucretius,

Denique per maria ac montes fluvioſque rapaces
Frondiferasque domos avium campoſque virenteis
Omnibus incutiens blandum per pectora amorem
Efficis, ut cupide generatim ſecla propagent.

Niſi forte per ſagittam intelligitur ſagittarius, qui miſſu ſagittæ ſignificat omnium vitam ab radio ſolis

pen-

pendere. Sub ſagitta eſt ſtella cum aſpide, eo modo, quo illa in Ægyptiorum hieroglyphicis effingitur, apud eos exiſtimatus Genius ſalutaris, quia anguis plenus eſt ignei ſpiritus ac fœcundi, quippe naſcens ſine ſemine renovat quotannis pellem. Adhuc inferius ponitur cornucopiæ, ad implendum ſe ex fœcunditate tempeſtatis, quæ in anno obtinet. Inſuper in aere conſpiciuntur aquila Jovis, corvus Apollinis, qui ales ei conſecratus ob divinationem, ut adfirmant Plinius & Ælianus, & cum his haſta ad formam T, qui character tauricus vocatur etiam ſalutaris creditus & fœcundus; ſed & infra prope tauri caudam additus eſt ei clavus hamatus, qui exprimit connexionem perpetuam rerum ſuperiorum & inferiorum. Denique adeſt ramus palmæ, in cujus medio appenſum eſt cranium mortis, quoniam omne quod naſcitur & generatur, obnoxium eſt morti & corruptioni. Illa rerum omnium in mundo victoriam obtinet, ac de iis triumphat, unde Ovidius.

Quaque ruit, furibunda ruit, totumque per orbem
Fulminat, & cœcis cœca triumphat equis.

Sub his hieroglyphicis etiam conſiderari poſſunt quatuor elementa, per taurum terra, per delphinum aqua, per caduceum aer, per fulmen ignis, & per ſtellas planetæ, prout ſingulæ appropinquant ſuis ſignis. Ab poſtico hujus imaginis Mithræ in eodem lapide ſculptus eſt leo, de quo in ſequente numero.

34. LEO MITHRIACVS.

Hic leo ſic ſculptus in averſa parte præcedentis

imaginis Mithræ, videtur per apem, quam ore tenet, alludere poſſe ad ænigma Sampſonis, memoratum a ſacris literis *e forti egreſſa eſt dulcedo.* Sic in ore Platonis, Pindari & ipſius Jovis recens nati mellificarunt apes, velut auſpicia in hoc imperii & in illo lyricæ dulcedinis. Etiam dici poſſet, hunc leonem ſic ſculptum fuiſſe amuletum commodum & felix, quia in horoſcopo ſuo is facit hominem regium & magnanimum, & hæc ipſa natura reperitur quoque in ape magnanima ſimul ac regia. Quum autem hæc figura referri debeat ad ſenſum alium, dicemus convenire apem cum reliquis animalibus conſecratis Deo Mithræ, cujus profecto ſymbolum eſt leo hic ſculptus in eodem lapide heliotropio, qui portat nomen effectuſque ſolis, & propterea hic ipſe lapis frequenti in uſu erat ad vanitatem magorum, quum Mithra & Sol unus idemque Deus eſſet, diverſis nominibus adoratus ſub forma leonis. De ſole in forma leonis multa referunt Orus Apollo & Macrobius, qui eo amplius dicit, Ægyptios conſecraſſe hoc animal in Zodiaco ea parte cœli, ubi præcipue in curſu anni fervet ſol potentiſſimo fervore, vocantes leonem domicilium ſolis: & in numiſmate Caracallæ conſpicitur leo capite radiato, fulmen ore tenens pro ape, pro diverſis ſymbolis ac myſteriis. De Mithra in forma leonis loquitur Tertullianus contra Marcionem, & Porphyrius in libris de abſtinentia refert initiatos, quum participes facti eſſent myſteriorum hujus Dei, appellatos leones. *In myſteriis Mithræ communionem quam habemus cum animalibus, ſubindicare volentes per animalium nomina conſueverunt nos interdiſtinguere, adeo ut*

ut eos, qui cum initiati participes ſunt ejusdem ſacrorum, leones vocent. In marmore Borgeſiano, cujus partem paulo ante deſcripſimus, ſuper proſtratum bovem ſculpti ſunt ſol & luna in ſuis curribus, & in medio duæ figuræ in pedibus erectæ, unaquæque involuta ſerpenti, & cum capite leonino, ut adorabatur ſol ab Heliopolitanis & Leontopolitanis. Quibus duabus figuris interpoſitæ ſunt ſeptem aræ cum totidem gladiolis ſimilibus Mithriaco, quia fortaſſis ſimul cum ſole ſacra fiebant aliis planetis ad placandos eos & faciendos benignos, ex opinione potentiæ, quam habet quiſque Deus in ſua ſtella & conſpiciendo importat bonos vel infauſtos influxus. Sic in noſtra imagine ſeptem numeramus ſtellas circumdatas orbibus Græcorum characterum, ex quibus etſi trahi nequeat aliqua ſententia, veriſimile tamen eſt eos alludere ad potentiam & beneficum illorum influxum. Hinc Damis apud Philoſtratum refert, Jarcam principem Brachmanum dediſſe Apollonio Tyaneo ſeptem annulos cum nominibus totidem ſtellarum, quos hic geſtaverit ſingulos per vices, diſtinguens eos quotidie pro appellatione iſtarum ſtellarum. Varii characteres & figuræ ſculptæ fuerunt ſub certis ſignis zodiaci vel quadraturis, & aſtrorum poſitionibus, quas promittebant ſibi fore bonas ad variarum rerum exſequutionem: unde & Plinius vanitatem magicam deteſtans refert quorundam opiniones, credentium, nomen ſolis vel lunæ inſculptum amethyſto & geſtatum in collo obſervatis quibuſdam ſolennibus eſſe valens remedium contra veneficia, grandines aliaque incommoda: idemque prodeſſe ad conſequendam gratiam

h 2 & ſe

& se faciendum amabilem; & similes effectus quoque sperabant ab aquila & scarabæo, si smaragdo incideretur. Medici quidam & Astrologi etiam per fraudem adseveraverunt, figuram leonis in auro sculptam & collo suspensam tollere dolores calculi; siquidem certis temporibus & horis ea sculptura facta esset, nempe quum sol ingreditur in primum gradum leonis. Alexander Trallianus, medicus non obscuri nominis affirmat, imaginem Herculis leonem strangulantis valere ad eundem dolorem; quæ figura exhibita est in prima parte. Quod ad literas attinet, ex quibus diximus non posse educi aliquam sententiam; ejus rei causa est, quod illi, qui utebantur magicis, solebant obnubilare mentem suam gryphis & ænigmatibus, unde eos Hieronymus vocat tormentum verborum, Apulejus literas ignorabiles, Lucianus barbaricas & non significantes. Illi autem corrumpebant verba & sensus, resolvendo & separando omnes literas, ut sic possent unicuique illarum dare singularem sententiam ac significationem, aut componendo per transpositiones & commutationes, ut huic rei quoque adsueverunt Hebræi in malo usu cabalæ, quæ velut pars est magiæ. Ab his & ab Basilidianis, ut refert Jo. Chifletius in eruditissimo libro de gemmis Basilidianis, prave scriptum invenitur ΔΟΩΝΑΙ pro ΑΔΩΝΑΙ, & ΑΙΟ, ΙΩΑ pro ΙΑΩ, quod est nomen solis, usurpatum in sacris versibus Apollinis Clarii, prout scribit Macrobius, & frequens in figuris ejus, qui appellatur Abraxas. Sic legi literas CΑΔ commutatas ordine retrogrado pro ΔΑC, quæ vox notat tedam vel flammam facis, quæ tres literæ sculptæ erant in heliotropio sub

ca-

caput ſolis ab latere ſculptum, cum virga & face. Unde opinio mea eſt, globos characterum, qui circumdant ſeptem figuræ hujus ſtellas, depravate ſcriptos eſſe & pari cum tranſpoſitione, ſicut in tribus ſuperioribus ſcribitur ac repetitur ΤΕΛΚΟΝ, quod poteſt eſſe pro ΤΕΛΙΚΟΝ, hoc eſt, bonum illud, quod pertinet ad ultimum finem, poteſtque intelligi ſub eo, quod ab ſtellis petantur influxus felicitatis. Altera vox ΦΙΔΕΛΚΙ videtur pro φιλέλκι, quaſi haberet vim attrahendi amoris & amicitiæ. Sed hæc dicta ſunto non plane per veram, ſed alludentem interpretationem, proprio ſenſu relicto doctis & linguarum peritis.

35. LEO MITHRIACUS.

36. ABRAXAS.

Ab Baſilide Alexandrino Ægyptio provenerunt monſtroſæ imagines idoli ipſius Abraxas, quod ſub prodigioſis formis ſectatores ejus dederunt, intelligi volentes falſiſſime, illud eſſe potentiſſimum ad averruncanda omnia mala fortunatumque ac ſelicem faciendum hominem, unde id multimodis ſculptum reperitur in palis annulorum ſub hieroglyphicis & figuris Oſiridis ac Mithræ, ex ſuperſtitionibus antiquis Ægyptiorum & Perſarum, non aliud denotans quam ſolem; & unaquæque ex literis vocabuli complectitur numerum annui curſus ſolis, ut obſervat Hieronymus. Sed ad exponendam hanc imaginem dicimus, Ægyptios, ut refert Plutarchus, finxiſſe Oſi-

rin membro virili erecto, ad respectum virtutis generantis & fœcundantis; quoniam ex mente philosophi, Deus & sol generant hominem & omnes res. Deus Priapus idem existimatus fuit soli, & Orpheus in hymno attribuit illi qualitates solis, splendentis in mundo & adferentis lucem. Membrum virile videbatur favere fœcunditati, solebantque pueri id gestare appensum collo sub appellatione fascini, quæ superstitiones ortum habebant ex antiquissimis Priapi & Bacchi cærimoniis. Etiam putabant Ægyptii solem esse eundem Priapo & Tempori, qui virtute sua se demonstraret, quæ peragrat Zodiacum & annum efficit. Talis nunc is exhibetur cum alis in humeris & pedibus in rapidissimo suo cursu, & ut ait Macrobius, pennæ attribuebantur Mercurio, ut is ornaretur natura solis, quippe quæ esset anima mundi & velox instar mentis. Propterea Ægyptii fingebant alatum simulacrum solis, cujus pennæ erant gemini coloris, claro altero & splendente, quum nempe sol circumdat partem superiorem zodiaci, altero cœruleo, quando in parte inferiori percurrit signa hiemalia. Abraxas dextra elevat sceptrum cum capite upupæ, quæ avis propter quatuor colores in pennis cristæ erat symbolum elementorum ac tempestatum: manu vero sinistra tenet scorpionem. Refert Scaliliger has superstitiosas figuras & amuleta in usu fuisse apud Arabas, quibus appellata fuerunt *Talismans*, gestataque in annulorum gemmis, sculpta certis cum observationibus lunæ, temporum, signorum & astrorum cælestium positionis ac benefica habita, atque adeo inde promittentes sibi stupendas vires contra serpentum

pentum morſus, ſcorpionum pungentes tactus, hoſtium verbera: narratque Hali Aben Rodan ſanaviſſe hominem ab ſcorpione punctum ſola hac tali figura impreſſa in grano thuris, eumque in hunc finem portaſſe illam in gemma annuli ſculptam, quum in cœlo obſervaretur illud ſignum, & coſmographum Arabem loqui de regione quadam appellata Hempts in tertio climate, & civitate ejuſdem nominis condita cum hac obſervatione, nunquam in eam introire ſerpentem vel ſcorpionem, & ſi quis deferatur uſque ad portam, ſtatim mori: id quod ſimile videtur ei, quod memorat Tzetzes in chiliadibus ſuis de Apollonio Tyaneo, eum liberaſſe Byzantium & Antiochiam ab ciconiis & veſpis, jubendo quaſdam earum ſculpi in marmoribus. Hæc figura ergo, ut videmus, una manu tenet ſcorpionem, quo indicio obſervat ejus adſcenſum & ὡροσκοπὴν, & altera transfigit & percutit utrumque femur ſtylo vel clavo longo; & hoc erat amuletum contra violentias hoſtium, quum & cultelli reperti ſint his clavis ſimiles aliaque inſtrumenta ex metallo ſignata characteribus, ſtellis ac numeris magicis. Etiam diceremus, quum ſuperſtitio hujus Abraxas ſit undiquaque ſimilis illi quæ in Mithra obtinuit, etiam illum imitari hunc in effundendo ſanguine & ſe cædendo. Illud conſtat pro certo in ſacrificiis Mithriacis ſolitos eos fingere, quaſi ſe percuterent & occiderent, ut apud Lampridium legimus in Commodo, illum non ſimulate, ſed vere intuliſſe mortem uni horum ſacrificulorum. *Sacra Mithriaca homicidio vero polluit, cum illic aliquid ad ſpeciem timoris vel dici vel fingi ſoleat:* & eodem modo idem

ille

ille Commodus præcepit, ut Bellonarius vere incideret ſibi brachium, qui ſolebant mimica & imaginaria ſibi vulnera inferre. Reſtat adhuc ut loquamur de duobus brachiis, quæ extenduntur poſt alas cum manibus, quæ pugno comprehendunt duo ſceptra vel bacula ab dextro & ſiniſtro lateribus, quæ deſignant potentiam ſolis ab ortu ad occaſum; quoniam dextra & ſiniſtra ex opinione Pythagoræ & Platonis ſignificant orientem & occidentem. Sub alatis figuræ hujus pedibus ſerpens ſe in gyrum torquet, ita ut mordeat caudam; ſolitum hieroglyphicum perpetuæ mutationis in tempore & anno. In ejus gyro includuntur quatuor animalia, cancer, canis, corvus & quartum...... Ex his primum, nempe cancer, frequens eſt in figuris ☿ Abraxas & Mithræ, qui etſi magis conveniat naturæ lunæ quam ſolis, nihilominus ut ſtatuunt aſtronomi veteres, facit influere gratiam ac potentiam contra hoſtes, fugans eos & ob hanc rem inſculpebant annulis. Apud Platonicos deſignat natalem hominum, quia exiſtimant animas per portas Cancri ad nos delabi; ſicut per Capricornum tranſeunt illæ Deorum. Canis colebatur ab Cynopolitanis, qui ſub ejus forma adorabant Anubin & ſolem, & in eo ſculpebatur amuletum ad tutelam & virtutem militarem ex fortitudine, ut lupus erat dedicatus Marti. Corvus ſacer erat Apollini, ales auſpicatiſſimus & boni ominis, eſtque hic etiam frequentiſſimus in imaginibus Mithræ & ☿ Abraxas.

37. CHARACTERES MAGICI.

Hi characteres ſculpti ſunt in averſo latere præceden-

cedentis gemmæ, quam deſcripſimus, & Abraxas, ex quibus quia non ſucceſſit mihi expromere ullum ſenſum, relinquimus eorum interpretationem eruditioribus, maxime quum in ſuperiore figura leonis aperuerimus difficultatem, unde iſtæ magicæ literæ prorſus non pateant intellectui.

38. MENSA SACRA AEGYPTIA.

Eam manu tenet ſacerdos, ut in ſequentibus duabus figuris. Eſt vero illa ſic particulatim ſculpta, ut melius comprehendi poſſet forma rerum, quæ in illa expoſita ſunt, de quibus num. 40

39. SACERDOS AEGYPTIUS.

De quo vide num. ſequente.

40. SACERDOS AEGYPTIUS.

Cum ſacra menſa. Figura hæc exhibetur in gemino conſpectu, ut ab omni latere pateat cum ſuis hieroglyphicis, ſimul cum ſuperiore parte ſacræ menſæ, notata num. 38, à qua incipiemus. In illa igitur conſiſtunt duæ hydriæ aut vaſa aquæ, item duo faſciculi ſpicarum frumenti, & in medio caniſtrum cum panibus vel potius pomis, & infra eſt menſura rerum liquidarum. Ab margine ipſius menſæ & a manibus ac brachiis ſacerdotis pendent frondes, & flores & animalia aquatica, & inter illa lotus Niloticus, ſex volucres ſimiles anatibus, & piſces duo. Sententia fuit Ægyptiorum ſapientium, materiam humidam fuiſſe ori-

ginem omnium rerum, ut memorat late Plutarchus in libro de Iside & Osiride, unde Homerus & Thales formati doctrinis Ægyptiis pronunciarunt aquam fuisse originem universi. Insuper statuebant Ægyptii, Osirin & Nilum fuisse eundem Deum & principium humoris, qui commiscens sese Isidi, quæ est terra, irrigatione sua eam fœcundaret ad generandum. Hac occasione in mensa locatæ sunt duæ hydriæ aqua Nili sacra repletæ, cum duobus aristarum fascibus; quoniam is fluvius inundando terram Ægyptiam pinguefacit, & est occasio ubertatis & materia ac vis seminis, eaque regio ob frumenti proventum fit felicissima. Quin etiam sacerdotes in cærimoniis ejus Dei præferri jubebant vas aquæ plenum, atque ita manifeste in hac mensa subindicatur & exponitur benignitas humidi elementi & Nili, quem Patrem & Deum ipsi existimabant. Lotus exsurgit supra aquam, quæ planta, ut vult Theophrastus, vel herba palustris dedicata est Isidi & Osiridi, cujus flos in se & aperiendo & claudendo sequitur motum solis ab ortu ad occasum. Et hæc est virtus solis illabens in humida, præterquam quod ab eis sacerdotibus pro uno eodemque Deo habiti sint Sol, Osiris & Nilus, pro diversis eorum operationibus in generandis rebus. Quod ad pisces attinet, scribit Lucianus in dialogo de Astrologia, Ægyptios, qui colunt signa piscium, alioqui non solitos vesci piscibus, quia habebantur sacri, ut qui humori adscribebant principia naturalia. Herodotus scribit in Nilo nasci quædam aquatilia, quæ Ægyptii pro sacris habeant, & certum genus piscium, quod appelletur squamosum, & quoque anguillam. Pari

modo

modo ſacerdotes Megarenſes Neptuni nullo modo edebant piſces; quia is Deus appellabatur genitor maris. Syri ſacra faciebant Neptuno Primigenio, credentes hominem natum eſſe ab humida natura, unde fiebat, ut venerarentur piſcem: & hæc ſententia placuit Anaximandro, qui ſibi imaginabatur in piſcibus fuiſſe genitos homines. Unde credere poſſumus piſces cum reliquis aquatilibus in menſa ſculptos eſſe, tanquam bonos Genios humidæ naturæ. Sacerdos nudus eſt & diſcalceatus, tantummodo coopertus femoralibus ab umbilico ad genua; & hanc veſtem opinarer appellari limum, commodam ad uſum aquæ, quia λίμνη apud Græcos ſignificat ſtagnum, & λιμνώδης humidus & herboſus, ſicut ipſa veſtis eſt virgata & videtur ex lini herbis contexta, imo etiam ſuſpicari quis poſſet hinc derivatum eſſe limum apud Romanos, quod erat ſimile veſtimentum, uſurpatum ab popa, nudo in ſacrificio: ſed diverſa eſt ejus derivatio. Cæterum noſter ſacerdos habet inſuper quoque tutulum in vertice formatum ex pennis accipitris, alitis dedicati Oſiridi ipſi, de quo nihil aliud dicimus, quia non eſt antiquus, ſed additus figuræ pro ſolito ornamento. Athanaſio Kircherio placuit hanc figuram inſerere libro de obeliſco Ægyptiaco, quem hodie videmus poſitum in aréa Minervæ, cenſetque piſces eſſe ſymbolum violentiæ Typhonis & furibundi impetus, & ſacerdotem ſupplicare ſupremo Naturæ genio ad arcendum ab Ægypto ſterilitatis incommodum. Nec ſane illis obviare volo, vel obſequii reſpectu, quo doctrinam ejus & merita proſequor.

41. SEMIRAMIS.

Volunt hanc Reginam vultu & habitu virili & ſparſis capillis referre Semiramin, quum audita Syrorum defectione feſtinans neglexit ſe pectere, nec niſi parta victoria venit ad ornandos crines. Eadem creditur eſſe Rhodogyne, de qua ſcribunt Philoſtratus & Polyænus, ita: *Rhodogyne lavans abſtergebat, verum quidam nuncians ſubjectam gentem defeciſſe, illa non abſterſis capillis, ſed ita ut erant revinctis equum conſcendit:* & in fine, *unde Perſarum regium ſigillum etiam nunc imaginem impreſſam habet Rhodogynen disjectis capillis præditam.* Id quod adnotamus in ſupplementum alterius figuræ Semiramidis in vario lapide, quæ eſt in prima parte. Hic autem conſervatur inter antiquas gemmas Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Principis Cardinalis Leopoldi Medicei.

42. CLEOPATRA.

Duæ aliæ imagines Cleopatræ exhibentur in prima parte, quibus hæc adjungitur, quia hic varius lapis ſculptus eſt artificioſiſſima ſculptura, qui etiam venit ab incomparabili benignitate ejuſdem D. Cardinalis Leopoldi.

43. POETRIA.

Vel ſacerdos laureata.

44. IPMOΦIOC. KPAEIPOC.

Ermophius & Crairus, ſive ſint hæc duo conjuncta

juncta nomina, ſeu potius amici ſignati proprio nomine ex conſuetudine Græca, ſine prænomine & cognomine, quæ ab Romanis uſurpabantur.

45. JUNIUS BRUTUS.

46. JVLIVS CAESAR.

Duæ aliæ imagines Julii Cæſaris ſunt impreſſæ in prima parte: hæc eis apponitur, non modo propter artificium ſculpturæ in ſardio, ſed maxime ad exſerendam gratam voluntatem, quam debeo Joſepho Monterchio, viro nobili ex monte Pulciano & ſacerdoti, quicum conjunctus ſum & affectu & cognatione, & cujus hoc donum eſt. Meretur ille ſingularem laudem in eruditione antiquitatis, per quam collegit abundantem copiam numiſmatum, ea occaſione, quum Romæ vivens in aula Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Ducis Hieronymi Matthæi, nactus quoque favorem Illuſt. & Excellentiſſimi Marchionis Ludovici fratris ejus, inſerviit erudito ejus viri genio, qui non minorem in literis, quam armis gloriam adeptus eſt.

47. AVGVSTVS.

Etiam de Auguſto eſt edita imago in prima parte in hiacyntho: hæc altera eſt in ſardio induſtrie ſculpta.

48. LEPIDVS.

49. CAPUT IGNOTUM.

Hæc imago mulieris a quibusdam credita est Faustina Antonini Pii, ob certam quandam similitudinem & ornandi modum, de quo tamen non decerno. Nihilominus præstantia sculpturæ valde eam commendat; mihi autem est carissima, quoniam venit ab celebrata comitate Michaelis Periccivoli, præfect iequitum Serenissimi Magni Ducis, in cohortibus Messanis provinciæ Sienensis. Hoc dono ille obligavit me ad publicam professionem æstimationis meæ & devoti affectus, quum etiam sit mihi gratissimus cognatus in communi patria oppido Boccheggiano.

50. CAPUT IGNOTUM.

51. INSCRIPTIO:

Antiqua marmorea.

D. M.
CLAUD. VICTORI
EQ. SING. D. N. VIX
ANN. XXVII. MIL. AN
VII. M. AUR. URSINUS
CA. HERES. AMICO
B. M. P.

Dis

Dis Manibus
Claudio Victori
Equiti singulari Domini nostri vixit
annis XXVII. *militavit annis*
VII. *Marcus Aurelius Ursinus*
Camilla heres amico
bene merenti posuit.

Dum hoc opus imprimitur, inventa est inscriptio ista, eo tempore quo Illustrissimus & Excellentissimus Flavius Ursinus Dux Braccianus me participem faciebat pretiosarum istarum gemmarum, quas hic edidimus. Placuit ea Principi illi & quia studiosissimus est rerum antiquarum, & quia continetur in ea cognomen *Ursinus*, atque ideo hic eam posui servandæ memoriæ ergo. De his equitibus, quos vocabant *singulares*, leguntur aliquot inscriptiones descriptæ ab Grutero, sed nec ille, nec quisquam alius, quod sciam, verbum de iis fecit. Invenitur in inscriptionibus *Eques duplaris Aug. Eques singularis Aug.* qui scilicet habebant stipendium simplex vel duplex vel in unum equum vel in geminum, sicut quoque legitur *duplaris & simplaris annona.* Vegetius lib 2. *Torques aureus solidus virtutis præmium fuit, quem qui meruisset, præter laudem duplas consequebatur annonas; duplaris duas, simplaris unam.*

F I N I S.

ERRATA

Partis primæ sic corrige

Pag. 2 verſ. 8 onyce. 26, 14 Mytilen. 32, 12 inſtinctas 38, 22 zapphirini. 48, 24 præpone 126. 70, 2 foemri. 76, 22 qui ſolent. 78, 25 ſannam. 80, 2 quippe 82, 3 huic

Partis II.

Pag. 2 verſ. 28 ſtudio videmus philoſophos 11, 28 de dignitate. 18, ult. *geſtat?* 22, 1 decachordo. 36, 24 matribus. 59, 17 illarum



Statua in Agata



In Cameo

MEDVSA



In Niccolo



In Niccolo



In Agata Varia



In Calcidonia Zafferina

VITTORIA



In Cristallo



In Cameo



In Corniola



In Pasta Gialla



Jn Corniola

ESCVLAPIO HYGIA TELESFORO



In Cameo



In Cameo



In Corniola



In Cameo



In Lapis Lazzali



In Corniola

ERMAFRODITO



In Cameo



In Cameo

GENII

Caccia



In Cristallo



In Pasta



Jn Corniola

MVTIO SCEVOLA



In. Agata

TRAIANO



In Cameo

COMBATTIMENTO



In Cameo

GLADIATORI



ARISTOMACO



In Corniola

HERACLITO



In Cameo

DEMOCRITO PARTE AVVERSA



In Cameo.

ALESSANDRIA



In Lapis Lazzali

FORTVNA



In Elitropia

GIOCO.RE PARTE AVVERSA



In Elitropia

MITRA



In Elitropia

LEONE MITRIACO



In Elitropia

LEONE MITRIACO



In Plasma

ABRAXAS



In Lapis lazzali



In Lapis lazzali

38



Mensa Sacra

SACERDOTE EGITTIO
in Pietra Rossa egittia



SACERDOTE EGITTIO *in Pietra Rossa egittia* 40



SEMIRAMIDE



In Agata Sardonica

CLEOPATRA



In Cameo

POETESSA



In Corniola



In Diaspro Rossa

GIVNIO BRVTO



Jn Diaspro rosso

GIVLIO CESARE



In Corniola



Jn Corniola

LEPIDO



In Corniola

TESTA INCOGNITA



In Corniola

TESTA INCOGNITA



In Corniola

INSCRITTIONE

